

De satirae Romanae auctore eiusque inventore.

Quinque abhinc annis C. F. Hermannus programma edidit,¹⁾ quo de verbis Horatii sat. I, 10, 64 sqq.

Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rufis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba.

disputans non Ennium, sed Lucilium auctorem satirae esse demonstrare studuit. Magna enim inter viros doctos est dissensio, verbis „Graecis intacti carminis auctor“ Enniusne an Lucilius significatus sit ab Horatio. Quamquam vero ab utraque parte viri doctrina insignes stant, interpretationi tamen eorum, qui Lucilium satirae auctorem dicunt, ita ut loci sententia sit: „Fuerit Lucilius limatior quam auctor et inventor novi poësis generis esse possit“, ingeniosa disputatione Hermanni, qui sententiam suam novis argumentis et ex linguae legibus et ex litterarum Latinarum historia desumptis comprobare et firmare studuerit, summa vis atque auctoritas accessisse facile videatur. Quodsi contra huius viri non minus doctrinae copia quam ingenii sagacitate excellentis sententiam subtiliter defensam disputaturus et Ennio, si fieri possit, legitimas auctoris satirae Romanae laudes assignaturus sum, magnus me vexat metus, ne a multis arrogantiae levitatisque iuvenilis insimuler. At dubitationes eas, quae perfecto illo libello mihi remanserunt, si modeste proferam et auctoritatem Hermanni reliquorumque virorum eandem loci Horatiani interpretationem defendantium diligentia et argumentorum gravitate aliquantulum compensem; veniam me apud plerosque impetraturum spero, idque fortasse eo facilius, quod Hermannus fragmentorum Ennii et Lucilii nullam fere habuit rationem.

Iam ut ordo et ratio nostri libelli melius perspici possit, partium singularum inscriptio-nes praeponantur:

- I. Succincta argumenti libelli Hermanniani expositio.
- II. Quid statuendum sit de Hermanni sententia.
- III. De satira Enniana.
- IV. De satira Luciana.

1) Disputatio de satirae Romanae auctore ex sententia Horatii serm. I, 10, 66. Marburg. 1841.

I.

Primo capite (cf. p. 4—9) Hermannus utriusque loci Horatiani interpretationis auctores et defensores commemorat. Ac primum quidem dicit Acronem et Porphyronem, Horatii interpres, Lucilium auctorem satirae intellexisse, neque renatarum litterarum lumina, H. Stephanum et Guil. Xylandrum aliter statuisse, neque Dionysium Lambinum, Cruquium et Lubinum de quoquam alio praeter Lucilium, qui l. c. secum ipso compararetur, cogitasse. Praeter hos antiquarum litterarum cultores nostro quoque tempore multi viri docti veterum Horatii interpretum sententiam probarunt et commendarunt: Heindorfius, Handius, Bothius, Kirchnerus, Jahnus, Wissius, Schoemannus. Omnium vero acutissime et diligentissime Hermannus ipse de loco Horatii disputavit eo libello, qui mihi ansam et materiam scribendi praebuit. Et ab Hermanni quidem doctrina disputandique arte et subtilitate exspectari poterat, ut quae scite excogitavisset, ea aliis viris doctis probarentur. Sufficiat vero unum Heusdium¹⁾ commemorasse, qui p. 264 se eius interpretationem probare professus est. Quorum virorum auctoritate eti ea interpretatio, qua Lucilius pro auctore satirae habetur, magnopere commendatur, tamen etiam alterius interpretationis, qua Ennio satirae inventio tribuitur, defensores atque patroni exsisterunt viri praestantissimi Bentleius, Gesnerus, Wielandus, Manso, Jacobsius, Wachsmuthius, Weichertus, Bernhardyus, alii.

Iam de alterius capitinis argumento (p. 10—15) videamus. Concedit Hermannus neutri verborum Horat. explicationi deesse, quo defendi possit. Nam in sententia eorum, quibus Ennius auctor satirae l. c. videtur esse, nihil inest, quod linguae Latinae legibus repugnet, neque negari potest Ennium satiras scripsisse. At non scripsit ex sententia Hermanni satiras eius generis, quo Lucilii satirae sunt insignes, et cum ii, qui Ennium satirae auctorem intelligunt, Lucilium ipsum ab Horatio l. c. significatum esse eam maxime ob causam negant, quod linguae leges obloquuntur: Hermannus hanc quam illi dicunt duritiem contortamque collocationem removere studet ita, ut cum universis linguae legibus tum et Graecae et Latinae exemplis verba defendat. Statuit enim Lucilium l. c. limatiorem dici quam auctorem rudit et Graeci intacti carminis, i. e. satirae; cumque Lucilius sit is, qui veram satiram primus considerit, eum fuisse limatiorem quam auctor novi poësis generis omnino esse possit, i. e. quam ipse fuerit. Hanc igitur loci explicationem contra adversarios defendit. Atque a comparandi modo incipiens concedit quidem plerumque res inter se comparandas mensurae communione contineri resque ipsas iuxta se positas et communis mensurae esse subiectas. Interdum autem comparisonem ita institui dicit, „ut res aliqua cum sua ipsius mensura comparetur, quae sive in re ipsa sive in universa eius condicione ex notitia cernitur.“ Quarum constructionum alteram apud Graecos usitatiorem fuisse dicit quam apud Latinos, quibus vix dicere licuerit aliquem se ipso superiore vel inferiore esse, ut Graecis $\epsilon\pi\tau\sigma\tau\omega\eta\varsigma$ κρείττονα aut ἡττόνα. Alteram vero constructionem tam apud Graecos quam apud Latinos in usu fuisse exemplis comprobare studet.²⁾ Ad sermonis Graeci consuetudinem confirmandam his utitur exemplis: Soph. O. T. 1374. οὐ γέρηστι κρείττονος ἀγχοίης εἰσησθενέα. O. C. 439. μείζω πολαστήν τῶν πρὸν ἡμαρτημένων. Eurip. Alcest. 233. καὶ πλέον ἡ βρόχῳ δέογην οὐδαμίῳ πελάσσαι. Ex Latinis autem haec affert exempla: Plaut. Rud. prol. 20. Maiore multa multat quam litem auferunt. Curt. VI, 6, 2. Patrios

1) Edidit van Heusden: *Studia critica in C. Lucilium poetam*. Traiecti ad Rhen. 1842.

2) Dicit Hermannus l. c. p. 13: „Omnis explicatio ad celeberrimum illum usum redibit, quo simplex constructio comparativa in eius locum succedit, quae alias per id quod est ἡ κατά sive quam pro et similes formulas declaratur.“

mores disciplinamque Macedonum — velut leviora magnitudine sua du-
cens. Senec. Hippol. 1032. **Litus invexit malum maius timore.** Tacit. H. III, 53.
Litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem. Juvenal.
IV, 66. Privatis maiora fociis. ibid. III, 203. **Lectus Procula minor.** ibid. XV,
140. Infans minor igne rogi. His igitur exemplis Hermannus comprobare vult Horatii verba ita explicari posse, ut Lucilium limatiorem fuisse statuatur, „quam pro ea condicione, in qua auctorem rudit Graecisque intacti carminis versari consentaneum fuerit.“

Hanc interpretandi rationem linguae Latinae legibus non repugnare contendens reliquis libelli capitibus demonstrat eam magis quam alteram litterarum Latinarum historia commendiari et poetae sententiae unice convenire. Quod ut comprobet, cap. III (p. 15—21) distinguenda esse dicit genera satirarum Ennianarum et Lucilianarum. Primum vero affert testimonium Quintiliani dicentis¹⁾ satiram totam Romanis vindicandam esse primumque in ea insignem laudem adeptum Lucilium; et cum l. c. addiderit: „Alterum illud etiam prius satirae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro“, Hermannus dicit „etiam aliud genus eodem nomine exstisset, quod quum etiam prius dicatur, non solum Lucilium, qui primus in altero insignem laudem adeptus est, verum etiam quicunque huius sive auctor sive inventor fuit, antecessisse necesse est.“ Cuius prioris satirarum generis qui praeter Ennum conditor dici possit, neminem esse dicit. Nec non probari id putat testimonio Diomedis²⁾ Ennii satiras a Lucilio discernentis. Deinde accuratus describit utriusque satirarum naturam et indolem, ut Horatium l. c. de Ennio ne cogitare quidem potuisse appareat. Quarto autem cap. (p. 21—28) significationem vocis „satira“ ita definit, ut in carminibus vel scriptis nomine satirarum insignitis nihil aliud nisi „miscellanea et fortuita ingeniorumve lusus“ contineri dicat. Negat porro omnes poetas, qui carmina hoc nomine inscripserint, uno poësis genere coniungendos esse, et sublata nominis similitudine nihil inveniri posse dicit, cur Lucilium Ennii exemplum secutum esse statuendum sit, immo omnia, quae de Ennii satiris legantur, „ita comparata esse, ut diversa potius quam cognata genera testari videantur.“ (Cf. p. 23—26). „Ennii enim satiras a metrorum varietate nomen accepisse, carmen autem ipsius argumenti varietate miscellum perque omnem vitae humanae farraginem libenter vagum primum Lucilium condidisse.“ Iam demonstrat illud genus rectius „Graecis intactum“ dici Lucilioque maiori iure auctoris nomen convenire.

Postquam cap. quinto (p. 28—35) demonstravit satiras Lucilii cum nullo Graecae poësis genere comparandas neque apud Graecos satirae originem quaerendam esse; cap. sexto (p. 35—41) contendit argumentisque comprobare studet illam coniunctionem, qua Lucilius primus aequalium virtutis heroicis versibus carpere ausus sit, omnemque eius instituti rationem adeo Lucilii propriam habendam esse, ut novum et Graecis intactum poësis genus condidisse dici possit Graecosque satirae Luciliana inveniendae aptos fuisse negandum sit. Cap. septimo (p. 41—46) affirmit ea, quae de satira Romana disputaverit, non tam in Ennii, quam in Lucilii satiras cadere, quod tota illa satirae descriptio a Luciliana tantum satira, qualis ex veterum testimoniis cognoscatur, petita sit, neque verisimile esse Ennum, qui totus ex Graecis exemplis pendeat, sine illorum auctoritate quicquam esse ausum. Eius autem formae, qua sola Ennii satirae conspicuae fuerint, apud Graecos exempla inveniri contendit. Testes vero affert Theocritum, cuius idyllia, cum praeter inscriptionis ambigui-

1) Cf. J. O. X, 1, 93.

2) Putsch. p. 482.

tatem cum voce „satira“ aptissime comparandam argumentorum et numerorum varietate pariter insignia fuerint, Ennio exempla esse potuerint: et Menippum Gadarensem cynicum, quem, ut postea Varro pedestri sermone cum versibus coniuncto, ita Ennius sola argumentorum et metrorum varietate imitatus sit. Ex quo perspicuum esse dicit eam satirae formam, quae ab Ennio condita posterius a Varrone maxime illustrata sit, Romanorum neutiquam esse propriam intactique Graecis carminis laudem in solum Lucilium cadere. Neque „inventoris“ tantum laudem Lucilio, „auctoris“ autem Ennio, ut nonnulli viri putarunt, tribuendam censem, cum inventor is dicatur, qui primus omnium in rem aliquam tractandam inciderit“, auctor autem, „qui aliis viam ad rem faciendam praeierit“; necesse igitur esse dicit „inventorem potius auctori quam hunc illi antecedere.“

Denique cap. octavo (p. 46—51) refellit eos, qui dicant verba „rudis carminis auctorem“ in Lucilium propter eius praestantiam cadere non posse, optime vero in Ennium, qui etiam alibi hoc cognomine appelletur. Quod Hermannus ita impugnat, ut dicat Ennii laudem non minorem fuisse in suo genere quam Lucilii, neque rude esse pravum vel mancum, sed artis expers et impolitum, id quod consequentibus verbis „Graecis intactum“ explicetur, Luciliumque limatiorem fuisse, quam in rudis Graecisque intacti carminis auctore exspectari potuerit. Addit deinde p. 47. disputationis summam paucis verbis comprehendens: „Atqui hanc“ (interpretationem) „demonstravi nihil continere quod sermonis legibus repugnet, deinde tantum inter Lucilii Enniique satiras discrimen intercessisse ostendi, ut hic illius auctor omnino dici non posset; tum solius Lucilianae satirae eam condicionem fuisse docui, ut intactum Graecis Carmen iure meritoque haberetur; quod si postremo Horatium ea, quae et potuerit et debuerit, etiam dicere voluisse ex toto sententiarum nexu satiraeque argumento comprobavero, nihil amplius ad propositae disceptationis complementum desideratum iri spero.“ Pag. 48 seqq. id ita comprobat, ut dicat Horatium de Ennio verba facere neque potuisse neque voluisse, cum in tota illa satira semel Ennium commemoraverit v. 53.

Non ridet versus Enni gravitate minores.

neque verisimile esse ab Horatio eundem poetam, cuius modo tanquam epici nomen posuerit, circumscribendo tanquam satiricum notatum esse. Accedere etiam dicit, quod Lucilius ab Horatio non tam propter satiras male scriptas reprehendatur, quam propter scribendi genus durum et horridum, et contendit Lucilio ab Horatio multo maiorem laudem tribui videri, si eum et suam ipsius conditionem et superiores poetas excessisse statuamus, quam si cum Ennio reliquaque veterum poetarum multitudine comparetur. Horatium igitur Lucilii virtutes agnoscere dicit, modo ne eius vitia, quorum culpam ne ipse quidem, sed tempus, quo vixit, sustineat, probentur et defendantur.

III.

Argumentorum quibus Hermannus usus est summam postquam breviter exposimus, videamus de singulis. Atque disquisitionem ita instituam, ut eodem argumentorum sententiärumque ordine servato ea, quae contra dici possint, in medium proferantur; ita enim apparebit, num id, quod sibi proposuit, revera sit assecutus. Ac primum quidem, ut supra vidimus, Hermannus demonstrat in ea loci Horat. interpretatione, qua Lucilius auctor satirae intelligatur, nihil inesse, quod legibus linguae Latinae repugnet. Quisque vero facile, ut opinor, concedet totam argumentationem evanescere, si verba Horatii locique naturam

ita comparatam esse demonstretur, ut vox „auctor“ ad aliquem alium praeter Lucilium referenda sit. Quod si probatum erit, reliqua argumenta ex litterarum Latinarum historia petita magis speciosa quam vera esse simul apparebit. Antequam vero Hermannus suam interpretandi rationem legibus linguae refelli non posse demonstret, Acronem et Porphyriōnem p. 4 testes et patronos eius interpretationis affert. Verum enim vero ne nimium tribuamus veteribus poetarum interpretibus, magnopere cavendum est. Quorum explicationes qui attente perlegerit, is intelliget, quoties ea, quae ad locos interpretandos congesserunt, non ex aliorum scriptorum testimonii hauserint, sed ex verbis ipsius poetae, quem interpretantur, duxerint.¹⁾ Dicit autem Acro ad l. Horat. „Quia primus satiram Graecis intactam versibus hexametrī sc̄ripsit, etiam Graecis auctor huius operis est.“ Quam parum recte Horatium intellexerit, satis declarant extrema verba, quibus Horatium etiam Graecis auctorem huius operis esse significat. Etenim cum Acro verba „carminis Graecis intacti auctor“ non perspexerit cumque Horatium etiam Graecis huius operis auctorem fuisse sibi persuaserit, proposuit verba: „primus sc̄ripsit.“ Id igitur concedi debet Acronem Horatii verba non ita explicuisse, ut debebat. Totam vero loci interpretationem ipse sibi finxisse videtur. Et quomodo ex verbis Porphyriōnis: „Hoc ideo dictum, quia nulli Graecorum hexametrī versibus hoc genus operis scripserint“, efficere potuerit Lucilium primum satiras sc̄risisse, me non intelligere libenter fateor. Porphyrio id solum dicit a Graecis satiras non esse compositas, et ne verbo quidem Lucilii facit mentionem.

His praemissis videamus, num Hermannus verba Horatii contra eos, qui Lucilium auctorem satirae dici posse propter linguae Latinae leges negant, recte defenderit. De comparandi ratione quid Hermannus sentiret, cum iam supra commemoraverimus, statim ad exempla quibus usus est examinanda accedo. Et Graeca quidem exempla quoniam sermonis Latini consuetudinem non probant, silentio praetermittentes de Latinis videamus. Probaturus est autem l. c. Lucilium limatiorem dici quam auctor novi poēsis generis esse possit, i. e. eum fuisse limatiorem quam ipse, quatenus sit auctor satirae, esse potuerit. Duplex igitur conditio eiusdem Lucilii poetae ponitur, cum limatiōr fuisse dicatur quam esse potuerit, si eum satirae auctorem fuisse respicias. Hoc tenendum erit in examinandis exemplis. De versu Plautino prol. Rudent. 20, cui primum locum tribuit, cum ipse dubitet, hunc missum faciam. Transeo igitur ad alterum exemplum, quod petuit e Curtii VI, 6, 2. „Patrios mores disciplinamque Macedonum velut leviora magnitudine sua dicens.“ At hoc loco minime variae eiusdem subiecti conditiones, quas in his comparationibus inesse Hermannus dicit, cogitari possunt, neque cum subiecto, i. e. Alexandro, quicquam aliud comparatur, sed mores et disciplina Macedonum comparantur cum magnitudine subiecti, i. e. Alexandri, et hanc comparationem ipsum subiectum instituit. Iam non video, quā Curtii verba cum versu Horatii, apud quem Lucilius cum auctore satirae, i. e. cum se ipso, quatenus est auctor satirae Romanae, componitur, comparari possint. Nihil enim simile inest in Curtii loco, qui bene procedit, neque quicquam supplendum est ut apud Horatium, ubi, si Hermanno assentiaris, intelligenda sunt verba „esse potest“, vel „solet.“ Porro affert Senec. Hippol. v. 1032 Litus invexit malum maius timore. Describit h. l. nuntius, quomodo perierit Hippolytus et quae eodem tempore simul acciderint in rerum natura. Neque hoc exemplum, cum hic quoque duae res diversae sint intelligendae, nec vero unius eiusdemque subiecti duplex conditio, satis quadrat. Significatur enim magnitudo mali, quod

1) Cf. dissertat. meam De C. Lucilii vita et carminib. Vratislav. 1842. p. 8. n. 1.

eiusmodi est, ut nullus timoris modus, qui tanto malo respondeat, inveniri possit. Difficultas vero non tam in verborum collocatione est posita, quam in sermonis brevitate. Deinde affert Tacit. H. III, 53. *Litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem.* Ne hoc quidem exemplum opinor recte huc retulit. Hoc enim loco si verborum collocationem respexeris, invenies scriptorem non tam de epistola esse locutum, ut Hermannus vult, quam de epistolae auctore, neque mensura, quae litterarum esse debebat, cum illa, quae revera fuit, comparatur, sed de Antonio agitur, qui in scribenda epistola plus adhibuit arrogantiae quam adhiberi aequum erat. Etenim epistola neutiquam sum se ipsa comparatur, sed auctor eius iactantius scripsit, quam ad principem homines scribunt vel scribere solent. Vides igitur parum esse hoc exemplum aptum, neque Tacitus, qui verborum brevitat et exquisito dicendi generi studet, cum Horatio comparari potest. Accedamus ad sequentem locum, qui legitur ap. Juven. IV, 66 *Privatis maiora focis.* Neque hic de uno eodemque comparationis subiecto cogitandum est, neque unius subiecti variae conditiones commemorantur, sed complures res. „Accipe“, inquit, „maiora privatis focis.“ Quae accepturus est, ea maiora sunt quam foci privati, i. e. transgrediuntur focorum mensuram. Aliter apud Horatium res se habet, qui ex sententia Hermanni de solo Lucilio, non de pluribus hominibus verba facit; hic autem duae res inter se comparantur, non una cum se ipsa. Focis vero privatis ea significantur, quae domus continet et praebere potest. Sequens autem exemplum Juvenal. III, 203 *Lectus Procula minor* cur Hermannus addiderit, plane non perspicio causam. Denique affert Juvenal. XV, 140 *Infans minor igne rogi*, quae verba de virgine in ipso aetatis flore immatura morte erepta sunt dicta. Nominatur minor quam rogus, i. e. rogus ei tantum convenit, quod ipsi est accommodatum; rogus igitur quodammodo non convenit puellae.¹⁾ Ita hic quoque invenimus duas diversas res inter se compositas. Quae exempla si spectes, fieri non potest, quin iis nullam cum Horatiano versu similitudinem esse statuas. Nam ut apud Horatium ex Hermanni sententia variae eiusdem Lucilii conditiones inter se comparandae sunt, ita locis citatis neutiquam eiusdem hominis aut rei variae conditiones, sed variae res inter se ipsae comparantur. At non nego Latinos idem subiectum cum se ipso comparare potuisse, ut homo sub aliqua conditione diceretur limatior futurus esse, quam revera est; sed vix quisquam concedet id ita exprimi posse, ut Horatius dixit „Fuerit limatior — quam auctor.“ Deest enim addenda mutati status conditio, et verba illa continent nihil aliud nisi comparisonem Lucilii cum auctore satirae, non cum ipso Lucilio ab Horatio institutam. Quod cum ita sit, nonne erit legibus hermeneutices convenientius solitam comparandi rationem inire, quam novam eamque lubricam, quae exemplis idoneis firmari non possit neque satis habeat auctoritatis et fidei.

Iam si propter linguae leges verba Horatii non ita intelligi possunt, ut Lucilius cum auctore satirae, i. e. cum se ipso comparetur, et statuendum est „auctorem“ b. l. alium poetam esse: argumentationis fundamentum concussum est. At aliud idque gravissimum argumentum in promptu habet Hermannus, cur Horatius, nisi forte in litterarum Latinarum historia repugnantiam statuere volumus, l. c. neque de Ennio neque de alio Romanorum poeta praeter Lucilium cogitare potuerit. De quo accuratius nunc est dicendum.

Genus satirarum, quales Ennius composuerit, plane diversum esse a Lucilii satiris putat Hermannus. Id comprobari dicit testimonio Quintiliani dicensis J. O. X, I. „Satira quidem

1) Similiter Schiller: *Elegie auf den Tod eines Jünglings.*
Einen Jüngling trägt man hier hinaus,
Einen Jüngling — noch nicht reif zum Sarge. —

tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius.“ Cum Quintilianus h. l. nihil de Ennio dixerit, sed Lucilium in satira insignem laudem adeptum esse testetur et paullo inferius addiderit: „Alterum illud etiam prius satirae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro“: apparere censem Hermannus praeter satiram Romanam aliud genus satirarum formae varietate insigne exstitisse, cuius auctor fuerit Ennius. Addit deinde testimonium Diomedis duplex satirarum genus statuentis. 1). His verbis ductus contendit ab Ennio prorsus aliud poësis genus excultum esse atque ab Lucilio, quod Ennius comparetur cum Varrone eiusque satirae appellantur „prius genus“, cui ante Lucilium fuerit locus. Sed vix credo testimonia illa ita esse interpretanda, cum non sufficiant ad tale discrimen inter satiram Ennianam et Lucilianam statuendum. Quod ad Quintilianii testimonium attinet, haud scio an Weichertus 2) de eo recte statuerit. Id Hermannus quidem p. 16 ita refellere conatur: „Neu quis eo confugiat, ut Ennium invenisse quidem, sed nullam aut exiguum laudem ex eo genere retulisse arguat, primum caveat, ne deterius sentiat de homine temporis ingeniosissimo, quem nulli operi manus admovisse consentaneum est, quin aequalibus probaret ipsaque nominis sui fama etiam posteritati commendaret.“ Etsi verum est Ennii laudes et apud aequales et apud posteros magnas fuisse, tamen inde non sequitur eum in omni poësis genere pariter insignem fuisse eiusque satiras omnium admirationem excitasse. — Deinde autem inquirendum est, num satirae Varronianae cum Ennianis cognatae fuerint neque solum propter formae varietates, sed etiam propter argumentum et materiam ad idem genus referendae sint. Quivis enim videt id vel maxime Hermanno, qui satiras Ennii et Varronis in unum genus propter formae similitudinem coniunctas cum satiris Lucilii componi posse negaverit, probandum fuisse illorum satiras praeter formae similitudinem etiam alia communia habuisse, quae unum idemque genus, quod „prius“ vocatur, efficerent. At haud scio an nihil aliud praeterea iis commune fuerit, cum Quintilianus externam potius et in sola forma positam differentiam quam internum et in poësi ipsa institutique totius ratione positum discrimen statuisse videatur. Quod quidem apte discerni non poterit, nisi antea satirarum Varronianarum vim et naturam, quam Hermannus plane neglexit, breviter demonstraverimus.

Quamquam satirarum eius nulla integra servata est, tamen ex veterum testimoniis et satirarum reliquiis quodammodo intelligi potest, quid potissimum spectaverit et tractaverit. 3) Dicitur enim Varro imitatus esse Menippum illum Cynicum 4), qui, quantum ex librorum inscriptionibus servatis et ex iis, quae de Meleagri Cynici exemplum Menippi sequentis scriptis nota sunt, et ex Luciano Menippi aemulo coniuci potest, philosophorum placita subtilia et

1) Cf. Putsch, p. 482. „Satyra dicitur carmen apud Romanos, non apud Graecos male dicum et ad carpenda hominum virtus archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius: at olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, satyra vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.“

2) Poett. Latt. vitae et reliq. Lips. 1830. p. 281 n. 7.

3) De satira Menippae Varronis disput. et fragm. collig. Fr. Oehler: M. Terentii Varronis Saturar. Menipppear. reliq. Quedlinb. et Lips. 1844. De Menippo et de Satira Varronis disseruit etiam Fr. Ley: De vita scriptisque Menippi Cynici et de Satira M. Terentii Varronis. Colon. 1843. Eius librum nondum vidi. Oehler l. c. p. 18 dicit eum accurate nec sine acumine ingenii disputasse.

4) Apud Ciceron, Acad. I, 2 dicit ipse: „In illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati quadam hilaritate conspersimus, multa admista ex intima philosophia, multa dicta dialectice, quae quo facilius minus docti intellegent iucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in his ipsis antiquitatum proœmiis philosophiae scribere voluimus, si modo consecuti sumus.“ De h. l. cf. Oehler l. c. p. 74. 78. Acad. I, 3: „Atque ipse varium et elegans omni fere numero poëma fecisti: philosophiam multis locis inchoasti“ etc. Hunc quidem locum Oehler p. 84 n. 29 non de satiris Menippeis intelligit, sed de carmine, quod a Varrone de Rerum Natura scriptum putat, quod satirae Menippeae maximam partem soluta oratione scriptae fuerint neque intelligatur, quo iure eas Cicero „poëma“ dicere potuerit. Sed illud non satis constat, neque Cicero commemoravit simplex Varronis poëma, sed „varium et elegans omni fere numero poëma“; denique verba „philosophiamque multis locis“ etc. optime in satirarum Menippearum argumenta quadrant.

spinosa, vitae communis usui nil commodi praebentia examinavit et facete derisit, neque solum lectores hilari ioco et lepida festivitate, qua apte argumentorum gravitatem temperaverat, delectare voluit, sed etiam id spectavit, ut alios invitaret ad scripta philosophorum legenda eosque doceret falsa a veris, ineptias et disputationum spinas a vera philosophia eaque vitae utilissima et accommodatissima et quae a quovis homine cognosceretur dignissima discernere¹⁾. Hoc litterarum genus Varro imitatus est²⁾ in satiris et „a societate ingenii“, ut Probus ad Virgil. Ecl. VI, 31 dicit, Menippus nominatus. Quae ingenii societas in eo haud dubie versabatur, ut qua festivitate et hilaritate Menippus veterum philosophorum sententias contortas et complicatas perstrinxisset, eadem Varro idem argumentum tractaret doctrinaeque suae fontes largos communi populi Romani usui libenter aperiret. Recte enim dicit Oehler l. c. p. 75. „Varro non feliciorem poterat in componendis Saturarum libris rationem inire, quam quod non per graves aut longas dissertationes, sed, Menippi Gadarenensis σπουδογέλοον stilum disputandique modum imitatus, per faciles et facetos sermones cives literis philosophicis initiare experiebatur, hoc quidem modo, ut singularum sectarum in primis Stoicorum et Epicureorum, qui tum maxime Romae florebat, singula placita sub examen vocaret, eaque non sine cavillatione illustraret simul et facete perstringeret.“ Multae exstant satirarum inscriptionses et fragmenta, ex quibus ea quae dixi vera esse cognosci potest. Cf. fragm. ap. Oehler. pp. 104. 109. 148. 188. 190. Omnia lepide exposuit et ut Romanos ad legendum invitaret, quaestiones difficiles tractare supersedit.

Verum enim vero non in sola philosophorum censura eorumque libris diiudicandis opera Varronis erat posita, sed ut facili negotio ex satirarum fragmentis cognosci licet, longe latius patebat. Nam Romanorum instituta antiquissima, historiam, mythologiam, sacrificia deorumque cultum, multa alia in satiris tractabat. Cf. Oehler pp. 78. 111. 169. 203. 230. Casaubon. De satyr. Graecor. poesi et Romanor. satira. Paris. 1605. p. 258 sq. Nec desunt testimonia satirarum ad Romanorum mores et vitam referendarum. Luxuriam enim et alia vitia vituperat, temperantiam et pudicitiam omniaque virtutum genera commendat. Cf. A. Gell. XIII, 11 „Lepidissimus liber est M. Varronis ex Saturis Menippeis, qui inscribitur Nescio quid vesper serus vehat, in quo disserit de apto convivarum numero deque ipsius convivii habitu cultuque“ etc. VII, 16 „Varro in saturam, quam Περὶ ἐδεσμάτων inscrispsit, lepide et scite factis versibus coenarum ciborumque exquisitas delicias comprehendit.“ Cf. Oehler pp. 94. 99. 137. 171. 189. Cum vero Varro in satiris componendis non id videatur sibi proposuisse, ut Romanorum mores emendaret, luxuriosos et malos homines perstringeret, virtutem et vitae integritatem castitatemque commendaret, sed ut ad communem reipublicae et civium utilitatem litterarum doctrinaeque copiam suam accommodaret; tantum aberat, ut reliquorum satiricorum acerbitate et rigore uteretur, ut omnia hilaritate quadam, ne intelligendi difficultate deterreret alios, quominus legerent, describeret et argumentorum gravitatem orationis festivitate et comitate apte temperaret.

Postquam igitur vidimus, quale fuerit argumentum satirarum Varronis et quid potissimum in iis spectaverit: quaerendum est, num quas Ennius compositus satirae non solum propter externam formae similitudinem cum illis comparari, sed etiam propter internas rationes et argumentorum communionem quandam uno eodemque satirarum genere possint

1) Cf. Oehler p. 29—34. p. 71 sq. Diog. Laert. VI, p. 101 commemorat Menippi librum πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γορὰς Ἐπικούρους καὶ τὰς θρησκευμάτας ὑπὲρ αὐτῶν εἰκάδας. Athen. XIV p. 629 Menippi Συμπόσιον, quo haud dubie homines nonnullos de philosophia inter coenam disputantes introduxit. Commemoratur porro ab Athen. XIV, 664 Menippi liber, qui insignitus est Ἀρχεσίλαος.

2) Cf. Gell. N. A. II, 18.

comprehendi. Ad quam quaestionem quoniam tertio nostri libelli capite respondere consti-
tuimus, nunc id tantum pro certo affirmare audemus Ennianarum satirarum argumentum
et rationem longe aliam fuisse. Itaque rem non aliter expedire possumus, nisi si illud
discrimen a Quintiliano propositum minime ad argumentum et peculiarem satirarum con-
ditionem, sed ad solam formam spectare statuimus. Notum est autem, quam saepe veteres
in dijudicandis vel ordinandis disponendisque poësis generibus magis discrimen aliquod for-
tuitum et externum, ut formam, quam veram carminum naturam respexerint. Exemplo
sunt carmina, quae elegiarum, idylliorum, epigrammatum nominibus significan-
tur.¹⁾ Quod si tenemus, neque Quintilianus quicquam aliud in discernendis satirarum ge-
neribus praeter formae discrimen secutus videtur esse.

Restat, ut de Diomedis testimonio pauca moneamus. Qui si duplex satirarum genus
statuit, quorum unum carmina maledica ethominum vitia archaeae comoediae charactere carpentia
comprehendit, alterum carmina formae varietate insignia: verba Horatii de Lucilio intelligenda
sat. I, 4, 1 sqq. et Quintiliani l. c. in unum videtur coniunxisse et utrumque genus
ex eo, quo erat insigne, iudicasse neque verum discrimen in indole et ratione utriusque pos-
situm statuisse. Et ut concedatur ea, quae Diomedes dixit, in Lucilii satiras cadere: tamen
satirae Horatiana et Persiana naturam et indolem parum accurate descripsit. Mirum etiam
est, quod ante Ennium commemoravit Pacuvium. Huic igitur Diomedis testimonio ne ni-
mium tribuamus neve ex eo satiram false dijudicemus et distribuamus, magnopere est ca-
vendum.

Deinde Hermannus de satirae Enniana et Luciliana discrimine disputat. Postquam
notionem vocis „satira“ ita definiit p. 22, ut nihil aliud significaret nisi „fortuita ingeniorum ve-
lus“: negat omnes poetas, qui hoc communi nomine sua carmina inscripserint, ad idem
poësis genus referendos esse. Comparat cum satiris id carminum genus, quod idylliorum
nomine inscribitur, quum initio quidem „idyllia“ vel „eclogae“ nihil aliud nisi „minutorum
carminum miscellanea vel delectum“ significaverint, deinde vero Theocriti et Virgilii potis-
simum auctoritate factum sit, ut, cum hi sua carmina bucolica idylliorum et eclogarum no-
mine significassent, hoc nomen illi poësis generi adhaereret. Quod quamquam concedendum
est, tamen apud Ennium et Lucilium, ut postea videbimus, res longe est alia. Probari
enim nullo modo potest Ennii satiras propter solam metri varietatem ita appellatas esse et
praeter nomen nihil aliud cum Lucilii satiris commune habuisse. Neque id dicturum fuisse
Hermannum puto, si utriusque poetae satirici fragmenta accuratius inspexisset. Contendit
p. 24 ea, quae de satira Enniana legantur, „ita comparata esse, ut diversa potius quam
cognata genera testari videantur,“ cum non appareat, cur veteres, si Ennii satirae a Lucili-
anis forma tantum diversa fuissent, duo genera statuerint et cur Ennianum genus secundo
loco posuerint cumque Varronis satiris coniunixerint. Neque concedit Hermannus satiras
Ennii, qui aequalium animos delectare eorumque laudes praedicare sibi proposuerit, ad mo-
res emendandos aut perstringendos spectasse, quoniam inter Ennii reliquias nihil exstet, quod
non in Plautinis fabulis locum habere potuerit. Ex quibus omnibus concludit genus satira-
rum Ennianarum a Lucilianis esse discernendum veramque satiram ad mores hominum emen-
dandos spectantem Lucilium primum condidisse.

Complura sunt, in quibus Hermanno assentiri nequeam. Primum enim non probavit

1) Cf. Wachsmuth, in Athenaeo ab ipso et Guenthero edito Tom. I. fasc. 2 p. 214. Paldamus: Rönt. Grotif. Greifswalb 1833. p. 11. Weigand, De Antipafris Sidon. et Thessalonic. Vratislav. 1840. p. 35. sq. Hermann. l. c. p. 22.

in satiris Ennii contineri diversissimi generis carmina minora, neque vero in Lucilianis. De argumentis satirarum Lucilianarum cum cap. IV accuratius disputaturus sim, hic pauca tantum moneo, ex quibus facile perspicuum sit, quam varias res Lucilius quoque in satiris tractaverit. Illis vero satiris quae singulos homines eorumque mores emendandos et virtutem vitaeque integritatem commendandam spectabant omissis earum tantum satirarum argumenta nunc breviter exponam, quibus longe aliae res comprehenduntur, quoniam ita facile erit in promptu, num Hermannus, ut Ennio diversissimi argumenti carmina adiudicavit, ita Lucilio ea recte ab iudicaverit. Primum afferro tertium satirarum librum, qui iter Lucilii, quod Roma fecit Capuam, continet. 1) Deinde commemoro Lucilium in libro nono de orthographia aliisque rebus ad grammaticam pertinentibus egisse 2). Libro XXII tribuitur epigramma, quo Lucilius servi sui sepulcrum inscripsit. Porro multa carmina epistolari forma conscripsit. 3) Quid? quod satis firmis argumentis olim probasse nobis visi sumus Lucilium carmine singulari Scipionis Aemiliani vitam privatam descripsisse. Iam vides Lucilium in satiris minime id solum spectasse, ut hominum mores perstringeret et emendaret, sed inerant in iis, id quod iam ex Horat. sat. II, 1, 30 sqq. concludi poterat, diversissima argumenta, ita ut non sine magna veri specie contendere possimus idem genus satirarum ab Ennio et ab Lucilio excultum esse. Iure igitur miramur, quod Hermannus hanc satirarum Lucilianarum compositionem et naturam neglexit et Ennio tantum eam carminum varietatem, qua Lucilii satirae vel maxime sunt conspicuae, tribuit. Quod vero ad Ennii satiras attinet, ex fragmentis, quippe quae fere omnia veram satirarum conformatiōnē exhibeant, plane contrarium eius, quod Hermannus voluit, concludi potest, ut postea videbimus.

Deinde si ex eo, quod Quintilianus I. c. Ennii satiras cum Varroianis coniunxit, concludit illas ita appellatas esse, quod singula carmina formae varietate insignia neque Lucilianarum satirarum similes fuerint: haud scio an non minus recte inde effici possit Ennii satiras potius cum Lucilianis quam cum Varroianis comparandas esse. Nam cum Varro, ut supra vidimus, longe aliam materiam in satiris tractaverit, id apparere videtur Ennii et Varrois satiras propter solam formae varietatem coniunctas et Lucilii satiris oppositas esse.

Novum argumentum in eo positum esse putat, quod demonstrari possit rectius Lucilii quam Ennii satiras „intactum Graecis carmen“ dici. Quod ut probet, p. 28 sqq. inquirit, num Lucilii satirae ad Graecorum exemplar expressae et compositae sint. Recte vero contendit, neque in Atticorum comoedia neque in Archilochi iambis neque in Rhinthonicis fabulis neque in sillis Graecorum fontem et argumentum satirarum, quales Lucilius scripsit, positum esse. Statiendum igitur putat Lucilium novum Graecisque intactum genus poēsis condidisse, et comparatione inter Lucilianas satiras et cognata Graecae poēsis genera instituta eo procedit, ut Graecos satirae Luciliana inveniendae aptos fuisse neget. At hanc quaestionem, num Graeci satiram Lucilianam invenire potuerint necne, missam faciamus, cum ea vix dirimi possit neque ad id, quod probandum est, magni sit momenti. Id vero est disputandum, num Hermannus recte statuerit Ennium satiram suam ad Graecorum exemplar expressisse et Graecos poetas imitatum esse. Negat enim Ennium, qui totus a Graecis pependerit, quicquam sine illorum auctoritate facturum fuisse eumque, cum Graeci satiras

1) Cf. Schol. ad Horat. sat. I. 5, 1. Varges: C. Lucilii Satirarum quae ex libro tertio supersunt. Progr. Sedini 1836.

2) Cf. Schmidt: C. Lucil. Satir. quae de libro nono supers. disposita et illustrata. Progr. Gymnas. Frid. Werd. Berol. 1840.

3) Cf. libellum meum: De C. Lucilii vita et carminib. Vratislav. 1842. pp. 26. 31. Schmidt. I. c. p. 33. Heinrich. ed. Juvenal. ad satt. 8 et 12 init.

non composuerint, satiram vere Romanam invenisse. Quod argumentum quam infirmum sit, quisque videt. Contendi enim non potest Ennium, qui fuerit vir ingeniosus et litteris artibusque eruditus, novum poesis genus invenire non potuisse. In medium profert Hermannus Theocriti Idyllia et Menippum Gadarensem Cynicum, quorum exempla imitatus esse potuerit. Parum autem verisimile est eorum exempla Ennio ante oculos versata esse. Theocriti enim Musa in poesis genere longe alio versabatur, ita ut Ennius in satiris scribendis eum imitari non posset. Neque intelligo, quid Hermannus spectaverit p. 42. dicens Theocriti idyllia cum satiris Ennianis hoc quoque commune habuisse, quod non solum argumentorum, sed etiam numerorum varietate mixtum librum exhiberent. Negari enim non potest illam satirarum Ennianarum varietatem aliam fuisse atque idylliorum Theocriti, cum hic vitam rusticam pastoralemque describeret vel vitae communis Sophrone Syracusano duce et praeeunte imitationem mimicam exhiberet. Nec magis dici potest Ennii libros varietate metrorum mixtos similes fuisse idylliis Theocriteis, quoniam carmina Theocriti, in quibus varia metrorum genera ordine certo et accurate definito perinde atque in multis aliorum poetarum carminibus apparent, comparari non possunt cum satiris Ennianis, quarum quaeque in plures partes unum totum poema efficientes ita videtur distributa fuisse, ut singulae partes singulis metrorum generibus conscriptae essent. Huc accedit, quod, etsi Ennium metrorum varietatem in Theocriti carminibus conspicuam imitatum esse concedatur, inde nihil colligi potest de cognatione carminum Theocriteorum et Ennianorum.

Paullo post Hermannus addit ne huc quidem configiendum esse, quoniam nihil prohibeat, quominus Menippus ille Gadarenensis, quem Varro imitatus est, Ennio formam satirarum praemonstraverit. Debeat vero, id quod non fecit, accuratius pervestigare, num Menippus ante Ennium revera vixerit numque carmina composuerit¹⁾. De qua re cum Hermannus aliquid statuere supersederit, de aetate Menippi pauca facienda sunt verba. Quoniam vero nullum habemus testimonium, quo annus Menippi natalis definiri possit, ad conjecturam configiendum est. Dicit Diog. Laert. VI, 100 Menippi temporibus vixisse Meleagrum: Τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ (i. e. Menippi) πολλοῦ καταγέλωτος γέμει καὶ τι ἵστορις Μελεάγρου τοῦ καὶ αὐτὸν γενομένου· φησὶ δὲ Ἐρμηπότος ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι. De aetate autem Meleagri si certi quid statui potest, etiam de Menippi potest. Quamquam olim dissensio erat inter viros doctos de aetate Meleagri, res nunc videtur composita esse, quoniam testimonium certum habemus eum Seleuci, ultimi regis Syriae, temporibus floruisse. Cf. Oehler l. c. p. 42: „Rectius Vavassor (de Epigr. c. 16), Reiskius (in Notit. poet. Anthol. p. 232), et Saxius (Onomast. lit. I, p. 142) iudicarunt aequalem fuisse Seleuco VI, regi Syriae ultimo, quem Ol. CLXX. 3. nactum esse imperium constat; scilicet secuti scholium Cod. Vatic., quod (p. 82) haec adfert: Γαδαρηνὸς ἦν (sc. Meleager), ὃς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν αὐτὸς ἑαυτοῦ ἔμημόνευσεν. ἔμμασεν ἐπὶ Σελεύκου τοῦ ἑσχάτου.“ Id verum esse eo potest effici, quod Meleager epigrammate tumulum Antipatri Sidonii inscripsit²⁾; is vero cum ante Ol. CLX non mortuus sit, Meleager post Ol. CLX floruit³⁾. Iam si de Meleagri aetate constat, etiam de Menippi res est certa, quoniam Diogenes Laert. dicit l. c. Μελεάγρου τοῦ καὶ αὐτὸν γενομένου. Id Hermannus p. 44 evertere studet dicens aut Diogenem perperam aequalem pro cive vel imitatore dixisse, aut duos

1) Cf. Casaubon, l. c. p. 266.

2) Cf. Anthol. Palat. VII, 428. Anth. Lips. Mel. 123.

3) Cf. Jacobs, Anthol. Gr. VI p. XXXIX et Weigand. de Antipatris etc. p. 20—22, qui circa Ol. CXLVIII Antipatrum natum esse dicit.

Meleagros, alterum Cynicum Menippi familiarem, alterum anthologiae scriptorem, distinguendos esse. Quod vero ad priorem explicationem attinet, id liquet Diogenem de tempore neque de ulla alia re locutum esse; alterius autem explicationis nulla est causa, certe Hermannus nullam attulit, et si sic statuit duos fuisse Meleagros, ipse suam argumentationem revertit, qua p. 43 demonstrare vult Menippum fuisse poetam. Affert enim Meleagr. epigr. 127:

Ἐνχόρτεω δ' ἔβλαστον δὲ σὺν Μόύσαις Μελέαγρος
Πρῶτα Μενιππεῖςσι συντροχάσας χόριστιν.

et Anthol. Pal. VII, 417 et 418:

Μόύσαι δὲ εὖ δλίγοις με τὸν Ἐνχόρτεω Μελέαγρον
Παῖδα Μενιππείας 1) ῥγλάσσαν χάριστιν.

Si his versibus utitur, ut demonstret Menippum poetam fuisse et versus composuisse, non intelligo, qua ratiocinatione duos Meleagros, alterum familiarem Menippi, alterum anthologiae scriptorem potuerit statuere. At aliud est testimonium, propter quod Hermanno Menippus longe ante Ennium vixisse videatur. Illo enim loco Diogenis Laert. commemoratur Hermippus quidam, qui Menippum dicit ἡμεροδακνειστὴν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι. Hic vero Menippus si, ut Hermannus quidem putat, circa a. 200 a. Chr. vixisset, revera Hermippi aetas non in alterum, sed in tertium saeculum a. Chr. caderet. Verum enim vero non satis constat de Hermippi aetate, et quaeritur, num secundum hoc Diogenis testimonium aetas Hermippi saeculo primo a. Chr. poni possit, an propter alia indicia eum revera circa a. 200 a. Chr. vixisse statuatur necesse sit. Dicit vero Lozynskius²⁾ Hermippum Ol. 129 — 148 vixisse, primum quoniam vita Chrysippi Stoici, qui Ol. 143 mortuus est, postrema fuerit, quam scripserit; deinde quod Hermippus Καλλιμάχειος i. e. discipulus Callimachi dicatur ab Athenaeo. Priori vero argumento nihil tribuendum esse ad aetatem Hermippi definendam recte contendit Oehler l. c. p. 44. n. 9. Neque alterum argumentum quicquam valet, quoniam non necesse est Καλλιμάχειος nominatus sit propterea quod fuerit discipulus Callimachi, sed propter librorum quos compositus similitudinem ita videtur appellatus esse. Uterque enim scripsit opera biographica³⁾. Quae si vera sunt, Hermippus non eo tempore, quo Lozynskius l. c. et Preller l. c. p. 161 putant, potest vixisse⁴⁾.

Haec omnia Hermannus secum reputare debebat, antequam statueret Menippi libros Ennio exemplo quod imitaretur fuisse. His autem expositis videtur supervacaneum esse inquirere, num Menippi libri metrorum varietate insignes fuerint, ut putat Hermannus. Abest vero tantum, ut Menippi libros metrorum varietate conspicuos fuisse demonstraverit, ut ne versibus quidem eum usum esse satis probaverit. Dicit quidem Probus ad Virgil. Ecl. VII, 31 „Varro Menipeus non a magistro, cuius aetas longe praecesserat, nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat.“ Sed Menippus non scripsit satiras, ut Probus dicit; deinde non recte interpretatur „societatem ingenii“, quae non in formae similitudine vel imitatione erat posita; propterea facile indu-

1) Ex emend. Brunckii pro vulg. *Mēnyppeīs*.

2) Cf. Hermippi Smyrnæi Peripatetici frgmm. ed. Adalb. Lozynski. Bonnae 1832 p. 2. sqq.

3) Cf. Preller in Jahrb. f. Phil. u. Pädag. Tom. XVII. 1836. p. 161: „Es ist dieses das spezifische Verhältniß des litterarhistorischen Werkes des Hermippus zu den litterarhistorischen Tabellen des Kallimachos. Denn wir sind überzeugt, daß ein solches obwaltete, und daß vorzugsweise eben deshalb Hermippus ὁ Καλλιμάχειος genannt wurde.“

4) Propterea etiam ea causa, quam Prellerus affert p. 160 ad aetatem Hermippi definendam, concidit. Dicit enim narrari Etym. M. 118, 11 Zeilum quandam, qui nullus alias est quam Prusias, rex Bithyniae, a Macedonia rege Philippo, Demetrii filio, Apameam, urbem Bithyniae dono accepisse. Quod cum a. 204 a. Chr. factum esse demonstrari possit, Prellerus circa hunc annum Hermippum in opere suo scribendo occupatum fuisse putat. Id verum esset, si Hermippum circa a. 200 a. Chr. vixisse constaret. Nihil vero impedit, quominus Hermippus, etiamsi centum annis post vixerit, id litteris mandare potuerit.

cor, ut Probum id finxisse putem vel false intellexisse, cur Varro Menippeus appellatus sit¹⁾). Neque ex illis Meleagri versibus, quos supra commemoravi, certo concludi potest Menippum fuisse poetam, quoniam verbis „Μενίππεις συντροχάσας χάρισιν“ et „Μ. ἡγλάϊ-σαν χ.“ significari videtur illa faceta et iocosa oratio Menippi, quam Meleager imitatus est. Quomodo cunque autem de poesi Menippi statuitur, id demonstrasse nobis videmur Ennio libros Menippi ante oculos versari non potuisse, ut Hermannus contendit. Videmus igitur neque Theocriti carmina neque Menippi libros exemplo fuisse, quod Ennius imitaretur, et Hermanni argumentationem labefactatam esse neque probari posse, quae inde conclusit p. 44. Et factum demonstrari posse Ennum varietatem formae a Graecis petuisse: tamen non sequitur, ut satirarum argumentum earumque rationem et institutionem inde petierit.

Refellit Hermannus p. 45 eos, qui Ennum auctorem, Lucilium inventorem satirae dicunt, cum „inventoris dicatur, qui primus omnium in rem aliquam tractandam inciderit, auctor autem, qui aliis viam ad rem faciendam praeierit.“ Inde apparere dicit inventorem potius auctori quam hunc illi antecedere. Quod si tenemus, Lucilius l. c. Horatii neque cum auctore comparari, neque ipse, cum Horat. sat. I, 10, 46 inventor nominetur, auctor dici potest. Nam si cum Hermanno auctorem et inventorem definias, non video, quomodo Lucilius, qui invenerit hoc satirarum genus, comparari possit cum auctore, quod ex Hermanni sententia auctor inventori non potest antecedere. Ipse vero per totum libellum in eo est, ut l. Horat. Lucilium auctorem dici demonstret, quamquam Horatius eum alio loco inventorem nominat. Neque recte definit utramque notionem. Auctor enim is est, qui aliquid promovet aut causa efficiens alicuius rei est, aut cuius exemplo et institutione aliquid efficitur. Cf. Cicer. Tusc. IV, 1, 2. L. Brutus, praeclarus auctor nobilitatis tuae. Horat. Od. I, 28, 14. Non sordidus auctor Naturae verique. Prop. IV, 6, 43. Murorum Romulus auctor. Ex his apparent auctorem eum esse, qui ad aliquid snaserit aut qui aliis in eo, quo ipse fecit, exemplum sit. Ennius igitur, cum ad satiras scribendas primus ansam praebuerit aliisque dux et exemplum fuerit, recte auctor dicitur. Neque necesse est inventorem satirae antecedere auctori, quoniam inventor non semper is est, qui primus aliquid invenit, cf. Virgil. A. II, 164, ubi Ulices nominatur inventor scelerum; sed inventor etiam is dicitur, qui in re ab aliis iam tractata novam iniit viam. Itaque Lucilius merito inventor dici potest, si probatur eum Ennum ita secutum esse, ut satirae naturam immutaret novaque ratione eadem argumenta tractaret²⁾. Ennius vero optimo iure auctor dici potest, quoniam, ut postea videbimus, satiram antiquissimam immutavit et poesin similem ad legendum factam primus composuit. Cuius novi satirae generis indoles nondum circumscripta erat certis finibus, ut cap. III exponam, sed cum multa contineret, tum etiam hominum vitam spectabat. Lucilius demum, quamvis omnia eius carmina res diversissimas continentia communi satirarum nomine comprehendantur, veram satiram, qualem Horatius, Juvenalis, Persius composuerunt, arctioribus circumscripsit finibus vimque et naturam eius ita excoluit, ut posteri poetae satirici vestigia eius presse sequi possent. Ita vero factum videtur esse, ut a recentioribus

1) Cf. Casaub. l. c. p. 262 sq.

2) Cf. Casaub. l. c. p. 272. Paldamus: Über Ursprung und Begriff der Satire. Greifswald 1834. p. 19 sq.: „Kallinos sang zuerst in Elegien, aber das elegische Metrum war nur Form, die man zu Allem gebrauchte; den Inhalt gab ihr Minnermus, und daher heißt er mit Recht neben den vielen Elegieindichtern vor ihm Erfinder derselben. Ähnlich war es mit Lucilius, indem er dem leeren Begriffe der Satura einen bestimmten Inhalt gab. — So kann man, während Ennius auctor der Satire ist, mit Recht den Lucilius inventor satirae, wie Minnermus den der Elegie nennen, wie Vellei. Patric. sagt 2, 9: Pomponius habe die Atellanen erfunden.“ Munk. De fabulis Atellanis. Lips. 1840. p. 105. Freund. Lexic. s. vv. auctor et inventor.

poetis inventor haberetur eiusdem satirarum generis, in quo scribendo ipsi operam suam collocabant. Quod cum ita sit, quisque Hermanno concedere potest Lucilii satiras aliam habere indolem et compositionem atque Ennii; sed non minus discrepat Lucilianarum satirarum natura a satiris Horatii, Persii, Juvenalis.

Denique Hermannus p. 46—51 eos refellere studet, qui dicunt verba „rudis carminis auctor“ cum Lucilii praestantia non convenire, ad Ennium vero optime referri posse. Ut autem de praestantia utriusque poetae statuitur, id statim apparebit verba illa ad Lucilium referri non posse, cum quid Horatius de Luciliana forma dixerit, respxerimus. Nonnullis enim locis Horatius Lucilium vituperavit, quod in scribendis satiris parum consuluit emendato et puro scribendi generi. Cf. sat. I, 4, 9 sqq. 10, I. 50 sqq. Et Lucilium revera formae pulchritudinem neglexisse fragmenta satis demonstrant, ita ut eum Horatius iuste vituperaverit. Iam si statuimus ab Horatio Lucilium limatiorem dictum esse quam auctor novi generis poesis esse possit: quo iure, quaeso, eum vituperare potuit, cum magis excelluerit, quam pro conditione sua potuit. Quod cum ita sit, statuendum videtur esse aut Lucilium ab Horatio perperam vituperatum esse, aut eum auctorem satirae non esse neque cum se ipso comparari posse. Cum vero prius illud contendi non possit, quoniam Horatius omnia, quae in Lucilio laudanda sunt, libenter agnoscit et praedicat, modo ne vitiosam formam laudare cogatur: Lucilius auctor satirae esse non potest. Accedit, quod nulla mensura adhiberi potest in iudicandis poematis vel libris eius, qui auctor est novi alicuius poesis generis. Quid? Quaenam est mensura et ratio, qua is, qui primus satiram composit, iudicari possit? Evidem non intelligo, qua ratione auctor limatiior dici possit se ipso. Omnia vero bene procedent locusque Horatii omni difficultate vacabit, si simplicissimam illam explicandi rationem, qua Lucilius dicitur limatiior quam auctor satirae, i. e. limatior quam is poeta, qui primus satiras composit, probaverimus. Neque video, quomodo Hermannus Lucilium, qui ab Horatio inventor satirae vocatur, limatiorem esse statuere potuerit auctore satirae, quoniam, ut supra vidimus, ipse contendit inventorem antecedere auctori; quam repugnantiam removere supersedit. Sin vero Lucilius dicitur limatiior fuisse quam auctor eius generis, quod et ipse excoluit et pertractavit, quamque reliqui veteres poetae: omnia bene procedunt. Quamquam autem iam ex iis, quae contra Hermanni argumenta et sententiam hucusque disputavi, apparere puto Lucilium auctorem satirae non esse, sed Ennium primum fuisse, qui satiras scripserit: tamen ex re videtur esse utriusque poetae fragmenta examinare et inter se componere, quoniam ita certius et evidenter dici poterit, num in eodem poesis genere uterque versatus sit, an Ennius in satiris longe aliam et plane diversam materiam tractaverit.

III.

De etymologica origine vocis *satira* viri docti inter se dissentunt. Alii enim ex Graeca lingua, alii ex Latina originem petunt. Hanc vero disquisitionem, quoniam difficilis est ad diiudicandum, missam faciam, quamquam non possum, quin eorum qui Latinam originem praeferunt sententiam veram putem; varias autem grammaticorum et scholiastarum explicationes et definitiones breviter commemorare mihi liceat, quoniam inde de communi vocis *satira* notione aliquid certi concludi posse mihi persuasum est. Cf. Fest. s. v.: *Satira* et *cibi* genus dicitur ex variis rebus conditum et lex 1) multis aliis conferta legibus (et genus

1) cf. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverfassung. Halle 1840. pp. 347. 353. 354.

carminis, ubi de multis rebus disputatur.) Diomedes p. 483 P. Satyra autem dicta sive a satyris —; sive a satira lance, quae referta variis multisque primitiis in sacris Cereris inferebatur et a copia et saturitate rei satira vocabatur —; sive a quodam genere farcimini, quod multis rebus refertum satyram Varro vocat etc. Schol. ad Horat. sat. I, 1 init. Satira dicitur lancis genus, tractum a choro Liberi patris; ab ea autem lance, quae plena diversis frugibus in templum Cereris inferebatur, nomen accepisse plerique dicunt. Isidor. Orig. V, 16. Satyra vero lex, quae de pluribus simul rebus eloquitur, dicta a copia rerum et quasi a saturitate, unde et satyras scribere est varia poemata condere, ut Horatii, Juvenalis, Persii. — Quas varias explicationes si attente perlegeris, facile, ut opinor, intelliges eas omnes id commune habere, ut vox satira quiddam mixtum et compositum significetur, in quo ordo certus et ratio certis finibus circumscripta nusquam appareat. Et nisi omnia me fallunt, haec significatio ex notione adiectivi satur facilime perspicua est, quoniam id, quod est saturum, impletum est vario modo et sine certa ratione, ut lanx satira, quae frugibus cuiusvis generis impleta est. Haec vero externa similitudo, quae intercedit inter lancem variis frugibus impletam vel inter legem, qua diversae res simul comprehenduntur, et inter carmen, in quo neque singularum partium ordo et ratio neque certa et artificiosa fabulae compositio et exitus satis conspicuus est, effecisse videtur, ut carmen ipsum hoc nomine insigniretur. Illius veteris satirae institutio propter testimoniorum paucitatem accurate definiri quidem non potest, videtur autem satirae Ennianae quasi prodromus et fons fuisse. Satirae veteris origo quaerenda est in illis Italorum festis et ludis rusticis. Errant enim ii, qui Italorum animos severos et omni lepore destitutos fuisse putent, cum tantum absit, ut tristes et morosi fuerint, ut in nulla fere alia regione incolae laboribus peractis magis animi hilaritati indulserint quam in Italia, id quod iam multis illis festis comprobari potest, quibus rustici potissimum omne iocorum genus sibi permittebant¹⁾. In his ludis cantui et saltationi erat locus, ars vero et consilium certum nusquam erat conspicuum. Artificiosiores paullulum, quamvis rudes etiam et parum exculti, erant ludi Fescennini; hi enim magis dramaticam referebant indolem, cum alternis versibus rustici se invicem increparent et perstringerent²⁾. Magna vero inter ludos Fescenninos et Romanorum satiras videtur fuisse similitudo, ita quidem, ut satirae elegantiores et magis elaboratae essent, cf. Liv. VII, 2, quamquam cum vera fabula comparari non possunt. Fabula enim habet argumentum in plures partes artificiose divisum, quae secundum rationem et ordinem quandam ante spectatorum oculos exhibentur³⁾. Tamen dici non potest satiras omni arte caruisse, cum apud Livium I. c. legamus fuisse eas modis impletas et tibicine canente et motu accommodato esse peractas. Quod si ita est, inde sequitur, ut inter ludiones antea convenerit, quale foret argumentum. Videtur autem argumentum ipsum multiplex fuisse⁴⁾. Quamquam vero litteris non mandatae videntur fuisse, quoniam nullum restat fragmentum neque veteres scriptores eas litteris conceptas esse tradiderunt: tamen mihi persuadere non possum plane, ex tempore fabulas versusque fusos esse. Multa sane inter ludendum ludiones ex tempore recitabant et subita oratio, ut omni tempore auditoribus magis placuit quam excoigitata, ita Romanis quoque incundissima fuit. Haec si tenemus et satirae qualem supra descripsimus notionem respicimus, appareat hanc diversissimarum rerum coniunctionem aptissime

1) Cf. Munk. De fabb. Atell. p. 2 sqq. Wachsmuth. in Athen. T. I p. 210. De variis rusticorum festis post messem institutis cf. Stieve: De rei scenicae ap. Roman. origine. Berol. 1828, p. 16.

2) Cf. Horat. Ep. II, 1, 146. Liv. VII, 2.

3) De metro, vel potius numero horum carminum cf. Munk. I. c. p. 7.

4) Cf. Paldamus: Üb. Urspr. u. Begriff der Satire. p. 17.

satirarum nomine significatam esse¹⁾). In his veteribus satiris, quarum argumentum maxime erat varium, primum, ut mihi quidem videtur, intrabat persona comica, quae fortasse animos spectatorum praeparabat ad id, quod erat exspectandum. Deinde secutae sunt scenae laxioribus vinculis coniunctae, quarum summum quaeque habebat argumentum ab aliis discrepans, ita ut fere tot fabulae viderentur esse, quot scenae erant. Ludiones partim caneabant, partim subita eaque iocosa et salsa oratione utebantur.

Huius satirarum generis formam et compositionem Ennius eo immutavit, quod eas spectatorum oculis detraxit et satiras, quae legerentur, litteris consignavit. Eo igitur vel maxime differebant Ennii satirae, quod non spectabantur, sed legebantur; similes in eo erant, quod et Ennii satirae omnem vitae farraginem exhibebant, i. e. vitae privatae conditiones, hominum mores, virtutes, vitia spectabant, neque solum eos, qui legebant, delectabant, sed etiam communi hominum saluti et vitae usui inserviebant. Quaedam similitudo in formae quoque varietate posita erat.

Iam videamus, num e satirarum Ennianarum fragmentis de earum natura quid colligi possit²⁾. Fragmenta, quorum numerus admodum est parvus, Merula collegit et interpretatus est. Haec editio rarissima est; Hesselius eam ad verbum typis excudendam curavit, ubi fragm. p. 186 — 191 leguntur³⁾.

Ex libro I duo exstant fragmenta, quae Nonius s. vv. Convivant et Celere servavit. Prius ita exhibetur:

1.

Malo hércole suo convivat magno sine modo.

Hoc fragmentum videtur intelligendum esse de homine aliquo, qui gulæ luxuria et nimis indulget et conviviis magnam pecuniam impendit, ita ut inde ei maximum malum et incommodum oriatur⁴⁾.

2.

Dum quicquid das⁵⁾ celere.

1) Aliter sentit Munk. I. c. p. 15: „Satiræ nomen nactus esse videtur (Iudus) ob verborum, cantus saltationisque coniunctionem, quae tria, cum anteas essent sciuncta, tum in unum consociata tanquam diversæ fruges in satura lance populo offerebantur.“ Qua in re dissentendum puto a viro docto. Nam nou intellego, quomodo verba, cantus et saltatio dici possint „tanquam diversæ fruges in satura lance.“ Per omne tempus, quod antecedebat, in ludis Italorum rusticis saltatio cum canto arctissime erat coniuncta. Rudes enim homines, quales rustici sunt, simul cum saltatione cantunt vel verba edunt et conlamentant, quoniam vocem, signum gaudii et summae hilaritatis, continere nequeunt. Deinde non intellego, quomodo verba a cantu separari possint.

2) Scripsit Ennius secundum schol. Horat. sat. I, 10, 46 quattuor libros satirarum, secundum Donatum ad Terent. Phorm. II, 2, 25 sex libros. Uter numerus verus sit, dici non potest, neque est res magni momenti. Casaubonus I. c. p. 235 dicit inter librum et satiram discrimen non esse. Sed vix puto Ennius quattuor tantum aut sex satiras scripsisse. Cum enim fragmenta Ennii pariter atque Lucilii ex primo, secundo, tertio — libro afferantur, inde sequi videtur, ut quisque liber complures comprehendenter satiras. Quod vero ad Lucilium attinet, demonstrari potest eius satirarum libros, qui simili ratione citantur, non singulas, sed multas comprehendendisse satiras. Cf. Libellum meum de Lucil. p. 34.

3) Praeter Ennium dicuntur Naevius et Pacuvius satiras scripsisse. Diomed. p. 483 P. dicit Pacuvium satiras composuisse; erant satirae, quales Ennius scripsit. Quod ad Naevium attinet, ei Heusdius I. c. p. 235 sq. satiras, quales postea Lucilius scripsit, vindicat. Quod ut comprobet, afferat Naevii fragmentum ex Festo s. v. quiana, ubi Naevii satira sive ludus (Cicer. Cat. VI, 20) commemoratur et maledicentia, qua in principes civitatis usus est. Cf. Ascon. ad Cicer. Verr. I, 10, 29. „Fato Metelli Romae fiunt consules“, et Naevii fragm. ap. Gell. VI, 8, 5. Veri autem admodum est simillimum hanc Naevii satiram fuisse fabulam, qua principes nonnullos acerbe perstrinxerit, et propter hanc satiricam vim fabula videtur esse dicta satira. Cf. Klussmann. Naevii fragm. Jen. 1843 p. 159. Aliter rem expedit C. F. Hermannus in Götting. gel. Anz. 1843. p. 389, qui illo Festi loco fragmentum Naevii transposuit et Ennius vindicat, quamquam non negat Naevii satiram statui posse eamque dramaticam. Mirum autem esset, si Naevius illam veterem satiram, quae nunquam litteris mandata est, imitatus esset, quamquam et Munkius I. c. p. 80 Sullam scripsisse satiras dramaticas (cf. Athen. VI p. 261. ubi Sullae tribuuntur σατυρικαὶ κωμῳδίαι τῇ πατρῷ φωνῇ) putat. Sed videntur fuisse comoediae (κωμῳδίαι) iocis et dictis plenae, quae propter id ipsum satiricas dicebantur. Neque aliter videtur statuendum esse de L. Pomponii satiris.

4) Idem argumentum Lucilius saepius in satiris tractavit. Cf. dissertat. meam de Lucil. pp. 21, 26.

5) In novissima ed. Nonii, quam curaverunt Gerlach. et Roth. Basil. 1842, legitur des secundum codd.

Ad hoc fragm. explicandum nihil habeo, quod addam praeter Merulae verba: „Vel eos carpit, qui in largitionibus bona omnia profundunt, vel respicit ad proverbium: Bis dat, qui cito dat.“

Lib. II.

De priore huius libri fragm. a Servio servato:

Inde locei liquidas pilatasque aetheris oras

Contemps —

nihil addo. — Alterum fragm. servavit Nonius s. v. Obstringillare:

Résistant, occurrunt, obstant, obstrigilant 1), obgánniunt 2).

Est vers. troch. tetram. catal. Optime huit fragmento locus esse poterat in satiris; dictum est autem de iis, qui voluntati alicuius inimici sunt. Non dissimile est fragm. Lucilii XXVIII, 23.

Lib. III.

Magni momenti ad rem nostram est fragm., quod ex hoc libro Nonius s. vv. Propinare et Medullitus servavit:

Enni poeta sálve, qui mortálibus

Versús propinas flámmeos medúllitus.

His enim verbis poeta ipse indicat se aliis non pepercisse eorumque mores perstrinxisse. Similiter de se ipso Lucilius verba fecit. Cf. fragm. XXVI, 6. XXVIII, 5. Alterum fragmentum Nonius s. v. Criminat afferit:

Is tibei non bene volt, quei falso criminat ad te.

Sic Merula. In novissima edit. Nonii ita legitur:

Nam iis non bene vult tibi, qui falso criminat

Apud te.

Sententia versus, qui non satis emendatus est, in aperto est et convenit satirae.

Tertium fragm. apud eund. s. v. Politiones legitur:

— testes sunt

Lati campi, quos gerit Africa terra politos.

Eundem versum afferit Cic. Brut. 3, 42 ex Ennii Scipione 3).

1) Lego obstrigilant pro obstringillant.

2) In novissima edit. ovagitant.

3) Lerschius in Mus. phil. Rhenan, Tom. V p. 416 — 421 statuit hoc carmen nomine Scipionis insignitum fuisse satiram. Plerique V. D. epicum habuerunt; nonnulli tragediam esse Scipionem dixerunt, ut Vossius et Bothius, eo commoti, quod ex Scipione praeter versus hex. dactyl. etiam iambici citantur. Sed vix credibile est Scipionem ab Ennio in scenam esse ductum. Lerschius igitur statuit satiram esse hoc carmen. Audamus, quibus causis ad sententiam suam defendendam usus sit. Prima causa haud scio an lectorum risum moveat; dicit enim: „Quod carmen neque epicum nec dramaticum nec lyricum esse possit.“ Sed cur nihil eorum fuerit, demonstrare omnino supersedit. Altera causa ei est, quod in fragmentis omnia momenta insint, quee saturae Ennianae sunt propria. Citat vero Diomed. III. p. 482. At quis eum docuit fuisse in hoc carmine omnia momenta, quee satirae convenienter? Nihil enim aliud certo scimus nisi varia metra in hoc carmine ab Ennio adhibita esse, ut fragmenta demonstrant. Iam si ex fabula deperdita fragmenta nonnulla variis metris conscripta citantur, nonne eam fuisse satiram ex Lerschii ratione statuendum erit? Tertiam denique afferit causam eandemque, ut dicit, admodum gravem, quod A. Gell. IV, 7 dicat: „Ex libro, qui Scipio inscribitur“; cum intelligi non possint haec Gellii verba, si Scipionem carmen epicum aut fabulum fuisse statuas; propterea supponendum esse: satirarum (ex libro satirarum). Ut de extrema parte primum verba faciam, parum est probabile totum satirarum librum nomine Scipionis fuisse inscriptum. Liber enim satirarum vix potest esse una satira, sed necessario continet complura aut multa carmina laxiore fortasse argumenti vinculo coniuncta, in quibus res diversissimae tractantur. Talis carminum minorum connexus aptissime „liber satirarum“ dicitur, si quidem Ennii et Lucilii carmina intelliguntur. Itaque si in libro satirarum complura carmina continentur, non potest nomine Scipionis insigniri. Aceedit, quod omnino non necesse est loco illo Gellii ad verba „ex libro“ suppleatur vox „satirarum“, quee neque in codd. neque in edit. legitur. Rècte enim O. Jahnius (v. commentar. ad Persii satiras in edit. Persii Lips. 1843. p. 98) animadvertisit verbum „liber“ non solum dici de toto quodam opere, etiamsi complures libros complectatur, sed etiam de fabulis aliquaque scriptis usurpari. Quis est autem, qui concedat Scipionis res gestas celebrari et laudari potuisse carminibus exiguis satirarum librum efficientibus? Nonne consentaneum est et nomen et totam carminis rationem dignitati fatisque eius, quem poeta

Lib. IV.

Macrob. **Saturn. VI, 5** affert hoc fragm.: —

Neque triste quaeritat sinapi neque cepe moestum.

Videtur vero ita disponendum esse:

— neqne triste quæritat

Sinápi neque cepe moestum —

Fortasse Ennius de iis locutus est, qui simplices cibos spernentes luxuriae se dederunt.

Cf. **Lucil. fr. V, 12. 14.**

Lib. VI.

Donatus ad **Terent. Phorm. II, 2, 35** hoc habet fragmentum:

Quippe sine cura laetus, laetus quom advenis

Inserteis maleis et expedito brachio,

Alacer, celsus, lupino impetu exspectans;

Mox dum alterius obligurrias bona,

Quid censes domineis esse animi? Pro divōm fidem

Ille tristis cibum dum servat, tu ridens voras 1).

Quod ad argumentum huius fragm. attinet, Ennius scite descriptsit hominis alicuius voracitatem, qui laeto et superbo animo, dentibus et manibus ad cibos devorandos paratis et libidinoso edendi ardore incitatus ad convivium festinat et alterius bona edendo consumit. Idem vero argumentum Lucilius et Horatius saepius tractant, ita ut haec sexti libri satira non dissimilis fuisse videatur satirae Luciliana et Horatiana.

Porro apud Gellium fragm. nonnulla ex incertis satirarum libris commemorantur, quae verae satirae indolem referunt. Narrat enim II, 29, 20 fabulam de cassita, quae nidum habebat in frumento et hos Ennii versus affert, qui de mala hominum fide sunt interpretandi:

(Hercle puto) hōc erit tibi árgumentum sémpre in promptú situm,

Né quid exspectés amicos, quód tute agere possies.

Aliud frag. affert A. Gellius XVIII, 2, 7, quod quamquam corruptum neque satis emendatum est, tamen demonstrat, quam venuste Ennius verborum ambiguitate uti scierit. Porro Quinctil. J.O. IX, 2 narrat ab Ennio colloquium Mortis cum Vita contendentis satiris insertum esse.

Qui haec fragmenta et testimonia attente perlegerit, is facile, ut opinor, concedet omnia fere habere similitudinem cum satira Luciliana 2). Discrimen vero gravissimum inter

celebravit, convenire debere? An putemus Ennium fuisse perversum parumque artis poeticae peritum? Quod cum ita sit, nihil videtur aptius quam hoc carmen inter epica referre, quamquam mirum sane est, quod metrorum varietatem in eo admisit. Sed in longiore fragmento huius carminis, quod Macrob. **Saturn. VI, 2** servavit, a versibus troch. ad hexadactyl. fit transitus, neque in carmine Epicharmi nomine insignito metrorum varietatem Ennius non admisit. Cf. Oehler, I. c. p. 25 n. 11. Quod vero Nonius illum versum ex libro satirarum citat, id aut culpa et errore eius factum est, aut Ennius eundem versum et in Scipione et in satiris pronuntiavit.

1) Hoc fragm. ita emendandum esse puto:

1. Quippe sine cura laetus, laetus quom advenis

Insérteis maleis, expedito brachio,

Alacer, celsus, lupino exspectans impetu;

Mox dum alterius obligurrias bona,

5. Quid censes domino esse animi? Pro divōm fidem

Ille cibum tristis servat, tu ridens voras.

In v. 2 delevi et propter metrum et quia in sequentibus et omissum est. In v. 3 transposui exspectans impetu propter hiasum et metrum. In v. 5 domino scripsi propter metrum et propter sequentem singular. ille. In v. 6 transposui cibum tristis et dum delevi.

2) Non satis recte dicit Paldamus I. c. p. 17 de satira Ennii: „Sie war bis Ennius Naturpoesie, aber ebenfalls ohne allen bestimmten Charakter und Form, und tritt mit ihm als Kunstsposie, aber ebenfalls ohne alle weitere Bestimmtheit, als die der Mischung auf. Ennius Satire ist gnomischer Art, wie Hesiodos, Theognis, Phoebides sind.“ Cf. Gerlach: E. Lucilius und die römische Satura. Basel 1844. p. 11.

utriusque satiras positum est in forma, cum Ennius metrorum varietate usus sit, Lucilius in eadem satira uno tantum metro. Deinde et ingenii natura et tractandi argumenta ratione temporumque conditione aliud discrimen ortum est, de quo postea disputabimus.

Et de Ennio quidem hactenus. Videamus nunc de Lucilii satiris.

IV.

Laetior aliquanto est via, qua nunc ingrediendum est, cum fragmentorum Lucilianorum longe maior sit numerus et testimoniorum de Lucilio eiusque satiris servatorum copia haud exigua exstet. De quo quamquam multo certius iudicari potest, tamen si Nonii Marcelli, cui longe maximam fragmentorum partem debemus, editionem emendatam et ex codicibus bonae notae petitam haberemus, satirarum naturam melius intellecturi essemus. Quivis enim, qui huius grammatici librum inspicerit, intelliget, quam corrupti sint omnes fere veterum scriptorum loci, quos citat. Magna vero spes olim in me erat excitata, fore ut, cum duo viri docti, Gerlachius et Rothius, codicibus novis collatis Nonii edendi provinciam admodum molestam suscepissent, de multis rebus rectius posset iudicari. Attamen spes me fefellit: nam et codices Nonii, id quod iam antea suspicabar, deploranda corruptelarum labo sunt infecti et inquinati¹⁾, et editores illi in Nonio emendando curam non ponendam censuerunt²⁾. Quamquam autem talis est fragmentorum conditio, tamen de argumentis nonnullarum satirarum deque universa satirae Luciliana natura nonnulla certo dici possunt. Disputationem vero ita instituam, ut primum ex veteribus testimoniosis carminum Lucilianorum genera describantur, deinde ex fragmentis ipsis satirarum indoles colligatur. Quae si absolvero, inquirendum erit, num talis cognatio inter Enni et Lucilii satiras intercedat, ut ad idem poesis genus utriusque carmina satirica referri possint, an tot tantique momenti discrimina reperiantur, ut uterque plane diversum et discrepans poesis genus excoluisse censendus sit.

Cum exponerem, quae significatio voci „satira“ esset, vidimus ea significari carmina varietate argumenti insignia, et quemadmodum Hermanno dicenti hanc varietatem Enni propriam esse assentiendum erat, ita neganti eam apud Lucilium inveniri contradicendum est. Lucilii enim satirae eadem varietate sunt insignes. Quod nisi fragmentis ipsis aliisque testimoniorum probari posset, iam ex Horat. sat. II, 1, 30 sqq. colligendum esset. Omnia enim, quaecunque poetae accidebant eiusque animum aut laetitia aut aegritudine afficiebant, sive puellam deserebat, sive eum puella perfida, sive hominem nefarium vituperabat principumque luxuriam et vitam dissolutam perstringebat, sive iter describebat, sive praecpta grammatices tradebat; quaecunque igitur litteris mandabat, ea communi satirarum nomine comprehendebantur. Quid? Nonne ex hoc solo Horatii testimonio perspicuum est Lucilii carmina maxima argumenti varietate insignia fuisse? Neque alia desunt documenta. A Lucilio enim vitam Scipionis Aemiliani privatam descriptam esse in meo libello de C. Lucilio scripto p. 12 sqq. satis firmis argumentis demonstrasse mihi videor, idque Gerlachius C. Lucilius u. d. tom. Satura p. 20 tacite probavit. Quam vitae Scipionis descriptionem haud dubie satiris, quibus omnia carmina Lucilii comprehenduntur, intulit, quamquam difficile est dictu, in quo

1) Cf. Non. Marcell. ed. Gerlach. et Roth. Basil. 1842. Praef. p. XXIV.

2) Post Fr. Dousae (Lucil. fragm. Lugd. Bat. 1597) per longum temporis spatium intacta iacebant Lucilii fragm. Recentiori vero tempore nonnullis viris doctis ea non indigna sunt visa, in quibus explicandis et emendandis operam et studium collocarent. Commemorandi sunt Varges in Mus. phil. Rhen. Tom. III a. 1835. p. 15—69 et in programm.: C. Lucilii Satirarum quae ex libro tertio supers. Sedini 1836. Schmidt.: C. Lucilii Satirar. quae de libro nono supers. dispos. et illustrata. Berol. 1840. Progr. Gymnas. Frid. Werd. Schoenbeck: Quaestt. Lucil. particula. Halis 1841. Van Heusde: Studia critica in Lucil. etc.

satirarum libro contineatur. In libro satirarum nono de orthographia, de prosodia aliisque quaestionibus, quae ad grammaticam pertinent, egit 1). Cf. Terent. Scaur. p. 2225 Putsch.: „Lucilius in IX Satirarum de Orthographia praecipiens“ etc. Vel. Long. p. 2227: „Apud Lucilium legitur in praepositione Per.“ Quintil. J. O. I, 7, 18. „Est in hac quoque parte (de formis declinat. primae) Lucilius paeceptum, quod, quia pluribus explicatur verbis, si quis parum credit, apud ipsum in IX requirat.“ In tertio libro continetur descriptio itineris, „quod Roma fecit Capuam et inde ad fretum usque Siciliense.“ Cf. Schol. Crnq. ad Horat. sat. I, 5. Quae Lucilius expertus est in itinere, ea videtur iocose exposuisse largamque lectoribus praebuisse copiam ridendi. Ut vero Horatius in quinta libri I satira iocosam contentionem Sarmenti et Messii Cicerri, ita Lucilius in itineris descriptione similem pugnam gladiatoriā exhibuit. Cf. fragm. III, 21. 22. 27 ap. Dous 2). Porro commemo- ratur Lucilium in satiris veterum poetarum carmina emendavisse et vituperavisse 3). De- nique non est silentio praetermittendum in libro satirarum XXII epigramma legi, quo servi sui sepulcrum inscripsit. Cf. Dous. XXII, 2. Donat. ad Terent. Phorm. II, 1, 57. Martial. XI. 90. Quid? quod facile aliquis contendat eum comoediarum fuisse scriptorem. Primum enim commemoratur **Lucilius comicus** apud Fabium Planciadē Fulgentium in Exposit. Sermon. antiq. s. v. Delenificus (p. 567 edit. Nonii Mercer. a. 1826. In edit. Roth. et Ger- lach. p. 398. 4): „Delenificus, blandiloquens. **Lucilius Comicus in Immolaria**“ etc. Alterum vero de Lucilio comicō testimonium exhibit schol. Crnq. ad Horat. art. poet. v. 238: „Py- thias persona comica in comoedia **Lucilii**“ etc. Sed his testimoniis, quorum auctoritatem in dissert. mea p. 9 sq. infringere conatus sum, vix quisquam inducetur, ut Lucilium inter poetarum comicorum numerum referendum censeat. Fulgentii enim fides admodum est du- bia, cum eius libellus vanis commentis scateat et falsis scriptorum nominibus et fallacibus testimoniis sit repletus 5). Restat igitur solum scholiastae testimonium. Quoniam autem nullo alio loco de Lucilio comicō quicquam legitur et in fragmentis nullum comoediarum vestigium apparet neque scena is locus erat, ubi aequalium vitia et ineptias impune casti- gare posset: huic quoque testimonio fidem derogandam esse putavi l. c. p. 10 et pro Lucilio substitui nomen **Caeciliū** 6), quod C. F. Hermannus in Götting. ges. Anz. 1842. p. 388 pro- bavit. Neque nomen fabulae, quae „**Immolaria**“ inscripta esse dicitur, caret suspicione, quoniam forma analogiae repugnat. Cf. Ritschl. die Fabulae Varronianae l. c. p. 139 7). Quam- quam vero Lucilius comoedias non composuit, tamen in eius libris carmina argumenti ad-

1) Fragmenta 17 libri IX, quae ad grammaticam pertinent, docte interpretatus est Schmidt. l. c. — Handb. d. latein. Litteraturgesch. v. Reinh. Klotz. Leipzig 1846. I. p. 55 sq.

2) Cf. Varges. Progr. I. c. pp. 1. 7. Saepe Romani itinera sua descripserunt. Cf. O. Jahn. I. c. p. XLII et p. 237.

3) Cf. Schol. ad Horat. sat. I, 10, 53. A. Gell. XVII, 21. Serv. ad Virgil. A. XI, 601. (Dous. fr. inc. 113). Quintil. J. O. I. 5. Priscian. X, 9, 53. (Dous. fr. XIX, 8) Naek. in Indice lectt. univ. Rhen. Bonn. 1823—24 p. 4 sq. Stieglitz. de Pacuv. Dulereste. Lips. 1826. p. 6 n. 10.

4) In hac edit. legitur: „**Lucretius comicus in Numolaria**“ —.

5) Cf. Nicol. Madvig. de Ascon. Ped. p. 64 (Opuscul. acad. Hauniae 1834 p. 28). Orell. ad Ciceron. Ep. ad Att. XIII, 21. O. Jahn. edit. Pers. Prolegg. p. XXIV n. 1. Parergon Plautin. Terent. que scr. Fr. Ritschl. Lips. 1845. p. 197 not.

6) Haecc et similia nomina saepissime sunt commutata. Cf. not. meam 2 p. 10 l. c. Caii Statii fragm. ed. Spengel. Monachi 1829. p. 60. Schol. ad Juvenal. sat. 3, 138 et ad h. l. Schopen. Tom. I p. 355. Juvenal. ed. Heinrich L. Caecil. Minut. Apul. de orthogr. ed. Osann. Darmstadt. 1826. p. 18.

7) Interim etiam aliam „**Lucilii comicī**“ interpretationem excogitavi, quam hic proferre mihi licet. Ut enim apud Graecos vocabula κωμῳδεῖν et κωμῳδία non semper de fabulis comicis earumque scriptoribus usurpantur, sed interdum nihil aliud significant nisi in modum comicorum aliquem perstringere et vituperare: ita vocabula comicus et comoedia seniori tempore idem significant atque satricus et satira. Cf. Stephan. Thes. s. v. κωμῳδεῖν. Beuvens. Collectan. litter. Lugd. Bat. 1815. p. 85. Meinek. Hist. crit. com. gr. p. 527 sq. Ita dicit Isidorus Origg. VIII, 7: „Duo sunt au- tem genera comicorum, i. e. veteres et novi: veteres — ut Plautus, Accius, Terentius; novi, qui et satyrici — ut Flaccus, Persius“ etc. Cf. porro Eyanth. de trag. et com., ante edit. Terent. Klotz. Lips. 1838. Tom. I p. XIII.

modum variis continentur, ut testimonia, quae commemoravimus, satis demonstrant. Nunc videamus, num ex fragmentis servatis de argumentorum varietate quid colligi possit.

Primum moneo Lucilium principes Romanorum, quorum mores corrupti essent, summa cum aceritate nominatim perstrinxisse. Quorum nomina cum in dissert. mea p. 16 attulerim, silentio nunc transeo. Conferri etiam potest van Heusd. I. c. p. 198 sqq. Inter vitia autem, quibus Romani illo tempore laborabant, praecipue luxuriam et sumptus conviviorum¹⁾ effusos acriter impugnavit et improbavit. Cf. fragm. inc. 46. 65. 85. 133. I, 20. IV, 1—9. 17. XIV, 9. 2) 10. 11. 12. Cum inter eos cibos, quibus Romani maxime delectabantur, referendi sint pretiosi pisces, id luxuriae genus saepissime commemorat. Cf. fr. inc. 30. 36. I, 13. 3). XXVIII, 21. Porro vituperat eos, qui sumptus magnos impendunt in supellecilem et vestes pretiosas. Cf. I, 21. 22. II, 13. 4) Impugnat avaritiam, commendat parsimoniam et conviviorum simplicitatem. Cf. fr. inc. 39. V, 12—15. 17. 26. VI, 1. IX, 24. 25. XI, 3. XXVI, 1, et demonstrat in virtute sola vitam beatam esse positam. Cf. fr. inc. I, 16, 5) et in mundo nihil esse perfectum, cf. fr. XVII, 1. et praestare paucis placere quam multitudini eruditionis experti. Cf. XIV, 5. Vituperat hominum astutiam et fallaciam, fr. inc. 2, puellarum perfidiam, cf. fragm. libri VII, describit aerumnas vitae coniugalnis, cf. dissert. meam p. 28 et fragm. libror. XXVI. XXVII. XXIX, perstringit superstitionem multitudinis, cf. fr. XX, 1. Vituperat porro Lucilius amicum, quod se aegrotantem non viserit. Cf. fr. V, 1, ab A. Gellio servatum, qui haec addidit: „Nam ubi est cum amico conquestrus, quod ad se aegrotum non viseret“ etc. In libro I finxit et facete descriptis concilium deorum, quo Lopus quidam accusatur. Cf. dissert. meam p. 21. Etiam epistolarum vestigia non dubia in satirarum fragmentis inveniuntur⁶⁾. Paullo ante vidimus Lucilium aegrotan-

1) Legendum est:

Infamam, in honestam, turpemque odisse popinam.

De hiato cf. Schmidt. I. c. p. 27. Lectionem infamam tenuit Mercer. et Gerlach., reliqq. edit. infamem. Adiectiva nonnulla vulgo in is exentia ap. Lucil. syllabam finalem n̄ habent. Cf. fr. VIII, 4. Praeter Lucilius Lucretius multis locis hac forma usus est. Cf. Forbiger. ad I, 341. II, 845. VI, 729. — In honestam est conjectura probabilis H. Junii, cuius editio Nonii (Antwerp. 1565) prima est, in qua critici sagaci acumen est conspicuum.

2) Cum Iunio in marg. legendum est:

Nam sumptib⁹ magnis

Exstructam ampliter, ad quam nunc accumbim⁹ mensam.

3) Hoc fragm. ita legendum puto:

Ad coenam adducam et primum hisce abdomina thynni

Advenientib⁹ priva dabo xepalaiaque acarnes.

Priora verba „Ad coenam — dabo“ servavit Nonius p. 159 ed. Merc.; alter versus legitur ap. A. Gell. X, 20. Lion. ed.: cephalaeque acarne. Codd. variant inter acarne et a carne et atarna. Stephan. coni. cephalaeque carne. Turneb. Adv. 14, 18: carnem et cephalaeam. Graeca verba Lucilius saepe imuseuit Latinis. Cf. fr. inc. 4. 5. 13. 141. 158. I, 13 etc. Acarnes, acharne est piscis marinus. Cf. Plin. N. H. XXXII, 11, 53.

4) Dousa legit: Ricini et aurati, cicae et oraria mitrae.

Schmidt. I. c. p. 27 legit:

Hypodyti aurati, ricae, oraria, mitrae.

Sed hypodytus non est vocab. Latin.; accedit, quod in nullo libro hypodytus legitur. Edd. Venett. (a. 1483. 1490, 1498); Richuliti avaritiae et boricia mitre.“ H. Junius et edit. Pariss. (1583 et 1586); Ricini aurati cicae et oraria mitrae. Mercerus: Hyodyti aurati, ricae et oraria mitrae. Gerlach. et Roth.: hyodyty aurati, cicae oraria, mitrae, sine ratione, ut multa in hac edit. Non animadverterunt viri docti hoc fragm. non sub voce rica, sed s. v. ricinus a Nonio citari; necesse est igitur in fragm. vox ricinus legatur. Propterea fragm. mihi videtur ita emendandum:

Aurati, ricini, ricae, oraria, mitrae.

Eo simul hiatus, quem admisit Schmidt., deletur. Hexameter vero in duas partes dimidias distractus ap. Lucil. sine offensione est. Cf. fr. inc. 45. I, 3. IX, 15 etc. — De vestibus et ornamentis mulieribus Lucilius h. l. loquitur.

5) Hoc fr. ita legendum est:

Aurum atque ambitio speciem virtutis utrique est:

Tantum habeas, tanti ipse sies tantique habearis.

Dousa: quantum habeas. Codd. tantum, quod C. F. Hermann. in Spicileg. ad Juvenal. Marburg. 1839 p. 26 defendit.

6) Casaubon. I.c. p. 292. Heinrich. ad Juvenal. sat. 8 init. Schmidt. I. c. p. 32 sq. Heusd. I. c. pp. 44. 45. 184. O. Jahn. I. c. p. LXV.

tem amico epistolam misisse. Porro ab Auctore Rhetor. ad Herenn. IV, 12, 18 commemo-
ratur Lucilii fr. (ap. Dous. I, 16).

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.¹⁾

Fragmentum primum libri incerti (ap. Dous.), quod servavit Lactantius J. D. VI, 5,
2, ex epistola ad Albinum scripta desumptum est. Denique ad Fundium quendam scripsit
epistolam. Cf. fr. XVI, 5 (Priscian. III, 1, 8):

Fundi, delectat virtus te, villicu' paullo

Strenuior si evaserit²⁾ —

Sed haec de satirarum argumentis, cum neque coniecturis indulgendum conseam et alio
loco (cf. dissert. p. 19 sqq.) de eadem re verba fecerim, sufficient, quamquam multa alia
afferri possunt³⁾. Apparet autem ex his paucis testimoniorum Lucilii satiris satis magnam
rerum diversissimarum copiam et carmina varii generis contineri. Sine ullo timore eos,
qui moribus maiorum reiectis libidinibus indulgerent, priscam morum integritatem atque
sanctitatem spernerent, sensuum titillationem captarent, acerbe et libere Atticorum comico-
rum more vituperavit et perstrinxit, quamquam faceti iocandi modi non erat expers. Cf.
fr. inc. 3.4)⁴⁾ Cicer. de orat. II, 6, 25. III, 42, 171.

Omnia, quae Lucilius scripsit, libris triginta, ut videtur, continentur; sunt enim ex
XXX libris fragmenta servata, quamquam nullo testimonio probari potest eum tantum XXX
libros scripsisse. Satiras suas non uno eodemque metro composuit, sed, ut fragmenta de-
monstrant, variis metris usus est. Scripsit enim primos XX libros metro hex. dactyl.; in
libris XXII, XXVII, XXVIII, XXIX inveniuntur versus iamb. trim. acat., in libris XXVI,
XXVII versus iamb. tetram. acat., in libris XXIII, XXVI—XXIX vers. tetram. troch.
cat⁵⁾. Il vero errant, qui in libris XXI—XXIX versus hex. dactyl. inveniri negent.
Ex his enim libris hos eius generis versus inveni: fr. XXVII, 28. 30. XXVIII, 5. 6. 20.
XXIX, 11. 12. 14. 15. 24. Propterea statui non potest satiras Lucilii secundum metrum
collectas esse, sed nisi forte temere et sine ratione eas dispositas esse velis, aut secundum
temporis quo scriptae sunt rationem aut argumentorum similitudinem et communionem in
libros distributae sunt. In singulis vero libris non singulas, sed complures satiras contineri
non tam difficile est ad demonstrandum. Fragmenta enim singulorum librorum satis magnam
argumentorum varietatem exhibent. Ita in libro tertio, quo poeta descripsit iter suum, non-
nulla insunt fragmenta, quae ad argumentum plane diversum sunt referenda. In libro IX,
ubi res ad grammaticam et poeticam pertinentes tractavit, insunt multa fragmenta, quae ad qua-
estum faciendum aliasque res spectant. Cf. fr. 17—30. Idemque de nonnullis alijs libris dici possit.

1) De L. Aelio Stilone cf. dissert. meam p. 7.

2) Codd. variant inter evaseris et evaserit. Krehl., qui prius in textum recepit, Tom. II p. 315 mutat sententiam et evaserit scribendum putat.

3) Si Porphyroni ad Horat. carm. I, 22, 10 dicenti: „Liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur, eo quod de Collyra, amica sua, scriptus sit,” fides haberi posset, haberemus carmen Lucilii amatorium ad puellam scriptum, quod satirarum libris inserendum esset. Sed in Neue Jahrb. f. Phil. u. Pädag. a. 1843. Tom. XXXIX p. 162 sq. demon-
stravi tale carmen nomine Collyrae inscriptum Lucilio abjudicandum esse.

4) Secundus versus huius fr. legendus est:

Municipem Ponti, Tritanni, centurionum.

Dousa pro Tritanni scripsit Titii Anni, cum putaret Tritanni nomen non extare. Sed tenenda est lectio Tri-
tanni, cum sit revera nomen Latinum, quamquam centurionem Tritannum non novimus. Cf. Madvig, ad Cicer. de fin. I, 3.
Neque forma genitivi Titii probanda est, quod Lucilius, ut ex fragmentis demonstrari potest, genitivum in ii exeuntem
nusquam admisit.

5) Cf. dissertat. meam p. 35. — Hermann, I. c. p. 25 et nonnulli alii viri putant longe maximam satirarum partem
versibus hex. dactyl. compositam fuisse. Sed id vix poterit concedi. Cf. quae dixi in Neue Jahrb. f. Phil. u. Pädag.
I. c. p. 156.

Postquam breviter de indole et argumentis satirarum Lucilii disputavimus, quaerendum est, num inter Enni et Lucilii satiras tam gravia intercedant discrimina, ut ad idem genus omnino referri nequeant. Supra vidimus, qualia carmina satirarum nomine significata sint. Ex ipsa enim vocis significatione cum efficeretur ea mixtum et compositum quiddam notari, nobis carminibus satirarum nomine insignitis videbantur comprehendendi varii poetici ingenii lusus brevioraque et leviora quodammodo poemata, quae varias vitae publicae et privatae conditiones exhibebant. Quamquam enim poesis tota in genera et partes certas distribuitur, ita ut quodlibet carmen ad unum ex poesis generibus referendum videatur: tamen fieri potest, ut carmen aliquod apte ad nullum eorum generum, quae arte et ratione sunt constituta, referri possit. Ut id intelligatur, exemplo utar. Si quis poeta animi commotiones ardentissimas et amoris vincula, quibus obstrictus tenetur, puellaeque pulchritudinem vividis coloribus describit, lyricum condit carmen. Sin vero post longinquum amorem a puella perfida deseritur eoque ita commovetur, ut non solum puellam, quam amavit, irrideat, sed totius sexus inconstantiam et levitatem iocose aut serijs verbis perstringat et iuvenes admoneat, ne se puellarum fallacis irretiri patientur, ut Lucilius lib. XXVI fecit: in lyricorum carminum numerum tale poema referri non potest. Porro si quis vitam excellentis viri describit, aut orthographiae praecepta tradit, aut de amico perfido queritur ita, ut oratione numeris adstricta utatur: cuinam poesis generi tribuenda sunt haec poemata? Quid? Si quis aequalium vitiis ita offenditur, ut vocem continere non possit, sed animi commotiones versibus exprimat? Omnia haec carmina, quibus vitae communis conditiones variae et farago describuntur subitique animi impetus exprimuntur, quaeque certis poesis generum finibus vix possunt definiri, satirarum nomine apud Romanos insignita sunt. Cum de illa veteri Romanorum satira disputarem, vidimus eam et formae et argumenti varietate fuisse insignem. Ex tempore enim cantica ab actoribus fundebantur certis quidem numeris, sed varietate insignibus adstricta. Argumentum vero eo a fabularum arte differebat, quod in satiris non argumentum certum in partes artificiose distributum et ordine quodam expositum tractabatur; sed quot scenae erant, tot argumenta ex vitae vulgaris usu desumpta et ad spectatores delectandos exhilarandosque facta et composita in iis inerant. Hanc vero veteris satirae indolem imitatus Ennius satiras primus condidit, quae quidem non spectabantur in scena, sed originem et similitudinem satis indicabant. Similitudo enim in eo erat, quod Enni satirae formae varietate pariter erant insignes: argumentorum vero varietatem ita imitabatur, ut ea, quae in veteri satira laxioribus vinculis erant coniuncta, dirimeret et in singula poemata distribueret. Etiam in Lucilii satiris videmus maximam argumentorum varietatem, quae, cum omnia, quaecunque scribebat, satiris inferret, maior adeo videtur fuisse quam in Enni satiris. Haec vero varietas apud utrumque poetam conspicua eiusmodi est, ut ad cognatum potius quam ad diversum poesis genus sit referenda. At sunt alia discrimina, propter quae aliquis utriusque satiras discernendas separandasque esse contendere possit; quae si exposuerimus, simul apparebit, qui locus et ordo Lucilio in satirarum historia explicanda et enarranda sit tribuendus. Primum igitur, ut iam vidimus, forma satirae discrepant. Ecquis est autem, qui propter solam formae varietatem, praesertim cum satiricae poesis fines parum accurate circumscripti sint, duo diversa poesis genera statuenda censeat? Quamquam enim non nego formae naturam et rationem arcte cohaerere cum poesis genere artificiosius exculto: tamen non tanti momenti potest esse, ut quae interno quodam argumentorum nexu totiusque compositionis natura connexa et cognata sint, ea disiungantur. Plane aliud vero est, si, ut Quintilianus I. c. fecit, unum idemque genus propter formae varietatem in com-

plures partes iuxta se positas distribuitur. Quid? Si quis satiras scripserit ita quidem, ut orationi numeris adstrictae solutam admiscuerit; num eum in satiricorum poetarum numero habendum esse negabimus? Alterum autem discri men est, quod Lucilius argumenta poesis satiricae aliter tractavit atque Ennius. Vidimus enim, quanta acerbitate et quam acri vituperandi aculeo usus sit Lucilius, cum sine ullo hominum respectu ut iustus index vituperaret et perstringeret vitia singulosque nominatim afferret. Id magni quidem est momenti, tamen animus poetae et maior minorve obiurgandi modus non multum ad genus quoddam poesis in partes distribuendum valet. Quamquam enim ex animo poetae ingeniique facultibus carminum pretium atque existimatio pendet, tamen genus ipsum eo non attingitur. Accedit, quod externarum rerum vitaeque publicae et privatae natura et conditio in satiricum poetam maiorem exercet vim quam in reliquos. Illa enim repugnantia, quae inter poetae ingenium et voluntatem et inter aequalium studia et voluntates intercedit, causa est, qua ad satiras componendas incitatur. Quae discrepantia quo maior est, eo maius etiam est carminum discri men. Porro licentia publica legumque severitas aut clementia momentum quoddam habet in poetam satiricum carminumque naturam. Sed eo genus poesis ipsum non immutatur, quoniam eius conditio et institutio pendet ex aliis causis, quae in ingenii humani natura et cogitationum exprimendarum arte et ratione versantur. Quod cum ita sit, id satirarum genus, quod Ennius excoluit, non propterea a Luciliano discerni potest, quod ille modeste et sine ira homiuum mores descriptsit, hic vero homines ipsos acriter aggressus est eorumque nomina et vitia posteriorum memoriae prodidit.

Iam quaerendum est, quo iure Lucilius, quem non novum plane genus poesis satiricae condidisse diximus, inventor dici possit, cum Ennius auctor eiusdem generis esse dicitur. Qua ratione Ennius auctor fuerit, iam supra exposuimus. Lucilius vero cur ab Horatio pro inventore habeatur, complures sunt causae. Ac primum quidem Lucilii satiras proprius accedebant ad satiras Horatianas. Quae enim apud Ennium lineamentis tantummodo obiter significata erant, ea Lucilius certioribus finibus circumscriptis. Ennius vitae humanae conditiones depinxit, Lucilius vero hominum singulorum vitia nude exposuit; ille res, sicuti erant, descriptsit animique sui motiones et sensus depresso, hic animi praesentium rerum deplorando statu incitati et exacerbati iram libere expressit; ille propensior erat ad laudandum, hic ad vituperandum; illi eximiorum Romanorum virtutes solatio esse poterant, huic magnus deperditorum civium numerus taedio erat. Propterea etiam factum est, ut, quamvis uterque eadem fere argumenta, hominum vitam et mores tractaret, Lucilius plane alia via ingredetur. Accedit, quod Lucilius, cuius sensus et cogitandi ratio multo magis quam Ennii Romanam indolem et naturam exprimeret, Romanis ipsis in satiris suis magis cognatus esse videbatur eiusque satirarum, quamquam et ipsae argumenti varietate erant insignes, longe maxima pars ad mores Romanorum spectabat. Hanc vero satirarum institutionem postea Horatius reliquique poetae satirici secuti sunt, ita ut ea carmina, quae in hominum vita et moribus describendis versarentur, satirarum nomine insignirent. Num igitur mirabimur, cur Horatius eum, ex quo ipse in satiris vel maxime penderet cuique maximam vim et auctoritatem in excolenda poesi satirica tribueret, inventorem sui satirarum generis nominaverit? Quod cum ita sit, nihil causae videatur esse, cur Ennium auctorem satiricae poesis fuisse negemus, quoniam viam et rationem huius poesis generis primus indicavit reliquorumque oculos ad id genus, quod varie potest tractari, advertit.

